

(Nous ne pouvons que reprendre, pour ces *Epigrammes*, l'avertissement qui précède notre édition des *Odes*, en ajoutant que le texte proposé par le site Italien est encore plus approximatif pour cette oeuvre. L'étude de la métrique nous a contraint à faire un grand nombre de corrections, évidentes pour les plus nombreuses, plus risquées pour quelques unes.)

Le texte donné ci-dessous est celui publié à Trieste, en 1970-1971, dans sa thèse, par Graziella Marino, numérisé par *Poeti d'Italia in lingua Latina*. A la lecture et à l'étude de sa métrique, il révèle un nombre très élevé de lacunes (non signalées dans l'édition numérisée), de bizarreries prosodiques et métriques. Partant du postulat que Cancianini était un poète savant autant qu'audacieux, nous avons essayé de démêler ce qui relève, dans les difficultés qu'il présente, du goût évident de l'auteur pour toutes les possibilités qu'offrait la métrique lyrique grecque (émondée plus tard par Horace) et de ce qui revient à une numérisation « à la hussarde », qui semble bien être de règle sur tous ces sites que l'on présente comme des sites de référence.

Il paraît presque certain, dans le cas présent que le texte publié par Graziella Marino devait être accompagné - thèse oblige - d'un appareil critique important, indispensable pour la lecture intelligente de cette oeuvre. Mais le « pilote » de l'O.C.R. s'est contenté de cadrer la partie texte, économisant ainsi un long travail pour dissocier le texte du paratexte.

Le travail critique « en aveugle » que nous avons dû faire ne nous satisfait pas. Si un très improbable lecteur peut nous dire où il est possible de se procurer le travail de Graziella Marino, nous lui en serons très reconnaissant.

IANI DOMINICI CANCIANINI SPILIMBERGII EPIGRAMMATA  
AD PERILLUSTREM DOMINUM ERASMUM VALVASONUM

LIBER PRIMUS

E1\_1 v.1 Accipe et hos versus, fulvum mutantur in aurum,  
2 en Heros capti, num tibi dextra Midae ?  
3 Plumbea, livida erant, splendent nunc aurea, nostra  
4 carmina : te te igitur vel pretiosa nitent.

AD EUNDEM

E1\_2 v.1 Si te oculis specto, terrarum es totus in Orbe.  
2 Si te animo inspicio, in te omnis compescitur Orbis.

AD CHRISTIANISSIMUM REGEM HENRICUM TERTIUM EX REGNO EIUS SARMATICO  
AD SUUM GALLICUM REGNUM MORTUO CAROLO FRATRE REVERTENTEM CARMEN TERTIUM

E1\_3 v.1 Mille petite oris, totidem si regna vacassent,  
 2 o Rex cunctorum superans diademate Regum,  
 3 si libet, excelsas teneat mea Musa parumper  
 4 aures ipse Poli Rector moderator et Orbis  
 5 Juppiter, ad cujus tremuit omnis Regia nutum,  
 6 saepe etiam voces mortalis suscipit imi.  
 7 Et nunc quippe Jovem, modulor, dum carmina, fari  
 8 aetherium videor, videor divumque videre  
 9 concilium, heroas verto dum lumina ad istos.  
 10 Sed libet audire. Invitat lux candida vultus,  
 11 praeclara et facies. Cur non exordia sumo ?  
 12 Janus ego, dictus non ficto nomine Janus,  
 13 sistere sum me ausus gemina hic cum fronte, loquique  
 14 o saeva Majestas, laeta una est, altera tristis.  
 15 Posterior dolet, anterior laetatur abunde :  
 16 haec, velut optato adventu stat Gallia gaudens,  
 17 illa ut discessu invisio Polonia plorans.  
 18 Fronsea, quae cernis, quae sunt post tertia relictas,  
 19 heu sculpta, heu Regis Caroli fert funera fratris ;  
 20 qui supra, spatium quod regni extenditur infra,  
 21 possidet in Caelo ; non ne ergo is regnat Olympo ?  
 22 Et tamen integro partim maerore fatisco.  
 23 En ridens ecce o Rex invictissime frons, en  
 24 quae ante pedes cernit praesentes, resque futuras.  
 25 Plus nimio est hilaris, laeteris tu quoque gaudet.  
 26 Terra, Aer, Pontus, Fratrem qui cesserat Orbe,  
 27 te adventante, tuum Regno quod reddis avito.  
 28 Vere ubi perpetuo florebunt Lilia magna  
 29 aurea, quae tecum simul aurea saecula resument,  
 30 cum tua vis pacem ferat, et tueatur eandem,  
 31 justitiae, et cultu, ceu Sol, armisque corusca  
 32 quicquid inest atri, disperdat lumine multo.  
 33 Henrice is properes (resonat clamoribus aether),  
 34 tu nostris Princeps, Rex, Praesidium et decus oris  
 35 conatur Rhodanus violentos sistere cursus  
 36 te exspectare volens ; totis se dedere et undis.  
 37 Eia igitur Patris o similis non nomine tantum,  
 38 sit tibi iter felix, facile, ac velocius Euro  
 39 per terram : obstantes sternantur vertice montes,  
 40 et juga demittant Alpes, collesque supini,  
 41 detur et a magnis fluviis via debita late  
 42 per mare : semidei tollant ex aequore fluctus  
 43 et celeres spirent aerae, ventique secundi,  
 44 magnaue Portuni, praesens sit dextera navi.  
 45 Mox ubi sceptras manu semper victrix tenebris  
 46 antiquo in solio, proprio diademate fulgens ;  
 47 quin prius, accipias quam sceptras haec maxima sponte,  
 48 et veniam, et pacem veniat quae victa resurgit  
 49 effera gens, poscens : tua numquam et bella retentet.  
 50 Laetum quemque diem tibi sol, tibi Cynthia noctem  
 51 usque ferat placidam ; valeas firmissimus omni  
 52 tempore, sit numque tibi Rex, quod gaudia turbet,  
 53 et tibi Nestoreae contingant saecula vitae.  
 54 Haec gemino est Regi Janus gemino ore profatus.

INFOELICES ALIQUORUM CASUS  
SIMPLICITER PER SE SUNT MISERABILES DESCRIPSIT

E1\_4 v.1 Germani quondam fuerant duo, Livius unus,  
2 alter Maxmillus, genuit quos Maximus ambos  
3 ambos heri genuit, tali sub sidere, quali  
4 ipse fuit genitus crudeli, et sanguinolento.  
5 Maximus infaustae post sera crepuscula noctis  
6 augusti mille annis, sexagintaque septem  
7 quinque ultra centum, caelo labentibus alto,  
8 jamque senio gravis, incerto percussus ab hoste  
9 vulneribus cecidit (pietas) ter quinque receptis,  
10 talibus, ut jaceat sine nomine turpe cadaver,  
11 qua celer interdum liquido pede currit aquosa.  
12 Hinc volvens annus menses aequaverat omnes.  
13 Tunc semel impulso pectus pugione peremit  
14 Maxmillus Jannem, sibi avunculum, Cavalcantem,  
15 hoc Patris ulcisci credens se funere mortem.  
16 Amplius haud terna per campos messe vigente,  
17 hoc agitur demum. Jannutius ortus Ianne  
18 sanguinis exhausit flumen de gutture Livi  
19 cuspide letalis gladii, dum forte jacebat  
20 aegrotus lecto propria Maxmillus in aede :  
21 cui caedes fratris subito pervenit ad aures.  
22 Tunc tunica tantum, quam noctu ferre solemus,  
23 indutus, plantis nudus, nudusque lapillis  
24 prosilit, et qualis furiis agitatus Orestes  
25 urbem per mediam stricto mucrone vagatur :  
26 at frustra et fatum nequii vitare supremum.  
27 Quotque parens, exul tot vulnera ab exsule cepit  
28 fugit et ad patrios manes miserabilis umbra  
29 discite mortales, casus nos volvere tantus,  
30 et pravo incepto numquam desistere sortem.

DE MUSCA ET ARANEO

E1\_5 v.1 Exigua olim Musca erat infesta omnibus,  
2 sicque in devitandis cauta sibi malis,  
3 ut nemo palmis capere, aut occidere.  
4 Haec tandem illatis multis injuriis,  
5 fessa, videns in muro telam pendulam,  
6 illuc immisit leviter corpusculum ;  
7 credebat molli nam sede quiescere  
8 tuto, ut molliter, haud ibi vidit araneum,  
9 qui latitabat vicini ore foraminis,  
10 nescius adhuc deceptae sortis aviculae.  
11 Sed postquam motus fuit undique sacculus,  
12 dum frustra temptat se solvere muscula :  
13 cruribus hanc textor cito grandibus adtrahens,  
14 "Nunc moriari ", inquit. Respondet : " Quid tibi ?  
15 Carpentem somnum debebam delinquere,  
16 me stringe, excrucia me, non (precor) ennea.  
17 Pergam, quod volo, non quod tu desideras".  
18 Sic dicens animal crurosum, et grandipes  
19 oranti vitam (tum) consumpsit sanguinem.  
20 MORALE  
21 Saepe luit poenas aliis obnoxius,  
cum non cogitat, illi, qui non laeditur.

## AD RUFILIUM

QUI POST MALORUM PERSECUTIONES TANDEM VOTI COMPOS SACRIS INITIATUS FUIT

E1\_6 v.1 Rufuli venerande, licet non summa moneta  
 2 jam caput abrasum teneat, moneatque sacrum te,  
 3 impediatur vestis nec longitudine gressum,  
 4 omnia quae venient, et plus veneraberis ipsis :  
 5 Quid tibi Jadra est visa ? Quid et mare ? Crete ?  
 6 Quid tibi remigium ? Ad remos quid jure coacti ?  
 7 Omnia vidisti praesens, Catus, alter Ulysses.  
 8 Non infecta, precor, sint nostrae pabula linguae  
 9 suspicione, quibus tua nunc depascitur auris.  
 10 Nam cui vis credam, si non tibi ? Quis melius quam  
 11 Tu scis ? Dixisti te propter verba malorum,  
 12 propterque invidiam ventosa per aequora vectum,  
 13 compede et astrictam tonso pepulisse carinam.  
 14 O sors, o lingua infames, o fama maligna.  
 15 Fama volans passim totum compleverat Orbem  
 16 te Dominum infamasse tuum non vera loquendo ;  
 17 quin quoque : sed sileo. Pedices meritoque tulisse.  
 18 Hoc ego non credam, dicat si verus Apollo.

## IN FUNUS HENRICI FRATRIS VIX PRAE DOLORE EXPRESSA NENIA

E1\_7 v.1 Hei mihi, quis mihi erit praesto ? Solare dolorem  
 2 tu mors dira meum. Jam jam mea lumina claude.  
 3 Plus satis, heu, vixi, nec nostrae parte juventae  
 4 longa mihi, ah quam longa hujus sunt tempora vitae  
 5 quando mei unanimis conspexi funera fratris  
 6 unicus is mihi frater erat, spes unica, amorque  
 7 unicus. Hinc non frater ero : sed solus et exspes.

## AD SUOS SEPULTOS

E1\_8 v.1 Dilecti cineres fratris, vos atque parentum,  
 2 quos semper veneror, manes salvete sepulti :  
 3 Henrice, Bernardine, Lucretia, qui loquor hic, sum  
 4 Janus Dominicus vester jam Cancianini,  
 5 jam salvete iterum, et me hoc exspectate sepulchro,  
 6 felices, quando est vobis bona vita peracta.

## MONUMENTUM FILIIS STRENUI CIVIS LEONARDI CISTERNINI, MARMOREUM IN BASILICA

E1\_9 v.1 Ista Leonardus dat Cisterninus habere  
 2 saxa suis natis, cum premet atra dies.  
 3 Esse Spilimbergi populo vult usque fideles.  
 4 Qui contra : huc a re rejicit, et tumulo.

## EPITAPHIUM BENEVENTAE

E1\_10 v.1 Hunc hilaris tumulum venerare accede viator,  
 2 namque boni adventus scilicet omnis habes.  
 3 Hic Beneventa jacet. Bene venit, mortua quando  
 4 est bene, ceu vixit : nunc bene abire potest.

## EPITAPHIUM GABRIELIS TERSILII

E1\_11 v.1 Lector, est Gabrielis hic sepultum  
 2 corpus Tersilii, viri elegantis,  
 3 docti, et munifici, probique ad unguem.  
 4 Haec te scire volebam amice lector.

## EPITAPHIUM SIGISMUNDI SECUNDI REGIS POLONIAE

E1\_12 v.1 Sensile me rapiunt ad cantus gaudia marmor  
 2 tam fortunatus quis fuit, estve lapis.

## EPITAPHIUM ALBERTI LAVEZZOLI

E1\_13 v.1 Albertus Lavezzolus, vis plura viator.  
 2 Te inclina. Sophiae hic membra sepulta jacent.

## ALIUD

E1\_14 v.1 Egressa est anima Alberti de corpore dia.  
 2 Mirum, quod potuit tam remanere diu.

## EPITAPHIUM BRUTI MILITIS

E1\_15 v.1 Est situs hic Brutus, timuit quem quisque, et amavit  
 2 illum olim ferrum : nunc tegit, ecce, lapis.

## ALIUD

E1\_16 v.1 Brutus versatus bellis, promptusque periculis,  
 2 ut Marti, Morti denique sic placuit.

## EPITAPHIUM IULIAE DE PONTE

E1\_17 v.1 Praeclari illa equitis conjux, quem Carolus altis  
 2 ornavit Quintus promeritum titulis,  
 3 Julia Francisci Spilimbergi nobilis uxor.  
 4 Cui de Ponte genus, Principe Ponte obiens,  
 5 defleta hic spolium liquit, caelumque petivit.  
 6 Quamvis illa absit, sis venerans tumulum.

## ALIUD

E1\_18 v.1 Quam Venus et Pallas, Juno, Charitesque bearant,  
 2 Julia Julaei gloria magna soli,  
 3 frigida, et exanimis jacet hic sine lumine, et aura  
 4 et pia si visa est, nunc miseranda latet.  
 5 Quo specie ? Virtus ? Majestas ? Quo decor ille !  
 6 Ah fallax sensus : non ea viva polo.

## IN TUMULO PROPERTIAE COM. POLCENICI MANTICAE, MORS

E1\_19 v.1 Paenitet heu facinus : si possem, falce perirem  
 2 hic nostri sexus gloria summa jacet.

QUATUOR SUBSEQUENTIA EPIGRAMATA  
SUNT QUATUOR E CONFORTIBUS DOMINIS SPILIMBERGI HORATII EQUITIS

- E1\_20 v.1 Omne, quod esse potest magni, non defuit urna  
2 incluso hac equiti. Jacet intus Horatius alter,  
3 Vincislai, sui ipsius peremptori qui ignovit.
- E1\_21 v.1 Vincere laus alios. Vinci laus major ab ipso  
2 et plusquam victor, dum moribundus amas.

HEUSTACHII

- E1\_22 v.1 Heu, heu : nulla potest, dici nisi syllaba prima.  
2 Cur gemo, tunc dico, qui jacet hoc tumulo.

EPITAPHIUM CUJUSDAM INFORTUNATI

- E1\_23 v.1 Sensibus hic jaceo penitus divisus, amici,  
2 viventes flete, heu (lacune) Vobis mala.

EPITAPHIUM PHRAGMICIATTI

- E1\_24 v.1 Es bis suo terra, et bis, Phragmiciatte, sepultus.  
2 Non satis : inferius, Phragmiciatte, jace.

EPITAPHIUM HADRIANI POLITIANI IURISC.AVUNCULI CIVIS UTINENSIS

- E1\_25 v.1 Clamosi qui verba fori compescuit aequae  
2 legibus, atque reos morte tot abripuit :  
3 extremo in senio tulit huc mors Politianum.  
4 Sero ultra est : frugi nempe miserta viri.

EPITAPHIUM HENRICI POLITIANI HADR. FIL. IURISC.

- E1\_26 v.1 Proh dolor, heu, heu, Henricus est hic Politianus,  
2 urbem, orbem, leges, morte tua exanimat.

EPITAPHIUM BERNARDINI ROTHERI CIVIS ET CONSULIS AQUILEIAE

- E1\_27 v.1 Hac Aquileiensis consul tumulatur in urna.  
2 Heu tam magnificus Rotherus ille jacet.  
3 Concidit extorres contra, dum consulit urbi,  
4 una est, aequa vi tota Aquileia solo.

DEIPHILO CENTANO

- E1\_28 v.1 Sapientia est Deus pater, tu hunc diligis  
2 philosophorum es maximus Deiphilae.

DE LAUDOMIS

- E1\_29 v.1 Amore capta Physici Laodamia

2 dat se cubili, a physico tangi cupit.

AD PAMPHILUM

E1\_30 v.1 Non unam, plures dicis te, Pamphile, amare.  
2 Quid dicis ? Nullam talis amator amat.

EPITAPHIUM IULIANI GOSELINI

E1\_31 v.1 Non est, sed fuit urna Juliani,  
2 quam cernis pario nitere saxo,  
3 intus nil, nisi inane continetur,  
4 scito autem in cineres eum reversum  
5 Musas pyxidibus novem abstulisse,  
6 injectumque suis movere cartis.  
7 Illi pulveri arena cedat Hermi.  
8 Huic cedat vacuo omnis urna Saxo.

EPITAPHIUM VALERI FARULI IURISC.

E1\_32 v.1 Valde jure valens sub mole Valerius, ista est  
2 doctorem legum Mors sine lege tulit.  
3 Quisquis es o lector, juvenis miserescere sepulti :  
4 et hic dimidium nomen, abire volens.

EPITAPHIUM AVARI

E1\_33 v.1 Huc mictum, huc veniant canes cacatum,  
2 sordidissimus hic homo est sepultus.

ALIUD

E1\_34 v.1 Ipsam credebas terram tibi, avare, deesse.  
2 En te terra tegit, spretaque terra jaces.

EPITAPHIUM LOBREGADI

E1\_35 v.1 Lobregadi funus digno celebretur honore :  
2 adsint ceratae, sed sine luce, faces.  
3 Et sua ne lateat virtus, sit marmore sculptum.  
4 Fecit, quod dicunt cum Ganymede Jovem.

ALIUD

E1\_36 v.1 Et gelidos lapides tumulorum Nympha frequentat  
2 clamanti extremos reddere prompta sonos.  
3 Auditne credis, saxo num conditur isto  
4 Lobregadus ? Silet hunc, nam meminisse nefas.

EPITAPHIUM BLUSSI LATRONIS

E1\_37 v.1 Affixa huic furcae sunt Blussi membra latronis.  
2 Non, si mille, satis, tot dedit ille neci.  
3 Cum tegat is furcam, a furca non ipse tegatur,

4           pro tumulo furcae immania membra puta.  
 5       Nos autem membris quod verba infixam legamur,  
 6           haud carpas ; etenim sic legitur tumulo.  
 7       Perge iter inceptum laetus tutusque viator.  
 8           In septem partes Blussus obesse nequit.  
 9       Nullos nunc metuas, cum Blusso hic nempe latrones  
 10           sunt omnes, omnium pes fuit, arma, manus.

EPITAPHIUM COECI A NATIVITATE

E1\_38   v.1       Hic jaceo in tenebris aeternae noctis et umbra.  
           2           Aequae animo id possem ferre, si habere animum.  
           3       Sed si scire cupis qui sim : tua lumina claudet  
           4           numquam aperi. Sic sum, sic quoque natus eram.

EPITAPHIUM TRANQUILLI IN FLUVIO DEMERSI

E1\_39   v.1       Hac Tranquillus ego infelix sum conditus urna,  
           2           infelix quantum quilibet esse potest.  
           3       Quid mea me virtus juvit ? Similasseque nando  
           4           Naiadas ? Absorpsit me fluvii unda rapax.  
           5       Centum annos Stygii errabo cis flumina Averni,  
           6           quin semper, quamvis non caream tumulo.

EPITAPHIUM CUJUSDAM INFAMIS

E1\_40   v.1       Urna quis hic jacet ? Ejus vis mihi dicere nomen ?  
           2           Belle tu poteris. Te precor istud age.  
           3       Clauditur et si quis, lingua jam utare sepulto,  
           4           fac, quae tunc fuerat, cum antea vivus homo.  
           5       Tene loqui vere an falso te sentio in actu ?  
           6           Sentio ? Et haud hominem te, urna, tenere. Vale.

IN CARDINALATUM ILLUSTRIS MICHAELIS TURRIS

E1\_41   v.1       Cyziceas, olim septem miracula, turre  
           2           vocales, altas fama canora sile :  
           3       en modo Julais quae e terris sidera tangit  
           4           vertice purpureo, mystica sponte sonans.  
           5       Diva cane hanc Turrim, cedant monumenta priorum.  
           6           Haec est ars Christi, vivaque Petra Dei.

ALIUD

E1\_42   v.1       Quam nec certantes Boreae, nec turgida motu  
           2           terra quatit, fragor nec Jovis ipse potens :  
           3       diva Adamantes (nunc) succurrens vertice turris  
           4           Romano Atlanti non leve fulcit onus.  
           5       Gaude Atlas, Romane Atlas : gaudete superna  
           6           numina. Firma satis sunt modo Regna Poli.

ALIUD

E1\_43   v.1       Tam bene munitae quid Turri restat habendum ?  
           2           Claves. Res Turrim non decet ulla magis.



## IN OBITURO EIUSDEM

E1\_44 v.1 Obstitit immensis meritis praesentia tanti  
 2 herois. Romae non erat, ast Acedi.  
 3 Pontificem de more Patres fecere propinquum.  
 4 Hunc Deum assumpsit, ne minor esset eo.

## SERENISSIMO VENETIARUM PRINCIPI PASCHALI CICONIAE

E1\_45 v.1 Impera quae quondam Caelo gens proelia movit,  
 2 unde metu gelidi contremuere Poli,  
 3 claraque sideribus facies expalluit, et se  
 4 Arctos in aequoreas praecipitasset aquas,  
 5 maxima ni Jovis ardentis tunc fulmine crebro  
 6 sedibus aetheriis dextra tulisset opem :  
 7 haec talis gens, montanis excita sepulchris,  
 8 surrexit. Terris aspera bella facit.  
 9 Oppugnant miseros populos, disperdit et illos  
 10 non Otri injecto, sed gravitate famis.  
 11 Congerit omnigenas fruges, occultat avare.  
 12 Rem, victum, vitam surripit arte dolis,  
 13 saevos Anguipedes ast ecce Ciconia tollis.  
 14 O Princeps nobis Juppiter alter ades.

AD ILLUSTRISSIMUM FOEDERICUM RENERIUM FORI IULII PRAETOREM,  
 IN QUASDAM RELIQUIAS PERVERSORUM LICTORUM

E1\_46 v.1 Perge Dei, o Numen, Sixtumque imitare latrones  
 2 in tales fueris impietate pius.

## AD FOEDERICUM BUIATTUM

E1\_47 v.1 Virtute eximia, summa et probitate colende,  
 2 quid Buiatte inquis ? Dulcis amice sile.  
 3 Non ego sum tanti, quanti te pendere cogit  
 4 in te noster amor, gignitur unde tuus.  
 5 Sed tamen accipio grata haec tua carmina grates  
 6 en tibi ago, o esset te mihi digna Lyra.

## PRIVILEGIUM CUISDAM SAGONII PHANATICI

E1\_48 v.1 Nullis quidem plenissimo e collegio  
 2 sissentientibus nec haesitanteque,  
 3 Sagonio fanatico insulsissimo  
 4 sic dicitur constare privilegium :  
 5 privatur iste legibus fanaticus.

## IN MALEDICUM

E1\_49 v.1 Improbe homo et mendax nam sic te denique novi :  
 2 effigiem similem faris habere tibi ;  
 3 estne tua haec scalpro an formata figura colore ?  
 4 Te sculpi in glacie, pingi et in igne decet.  
 5 Quin potius te diffingi, in nihilumque reduci,

6 ut mala mens tecum, lingua mala et pereat.

ALIUD

E1\_50 v.1 Fistula dulce canit, fac quod fecere priores.  
2 Non vis discerno, sit bona lingua tua.

ALIUD

E1\_51 v.1 Sordide disce canis quid sit latrare poetis.  
2 Majora his arcus spicula noster habet.

IN MORTEM SAMUELIS MARSILII

E1\_52 v.1 Hi tonitrus, gemitus, hi sunt suspiria venti :  
2 hae pluviae lacrimae : hae nubila nigra, dolor.  
3 Omnia in occasu Samuelis Juppiter ipse  
4 condolet Hebraeum talem obiisse virum.

HORATIUM

E1\_53 v.1 Do caecis sonitu, do surdis indice : scis quid ?  
2 Caecis et surdis quod dare ego nequeo.  
3 Scilicet in partes tot sectum tempus et horas  
4 quot digitos, aures, lumina lector habes.  
5 Ast tibi, cui est visus, nec non audire facultas,  
6 omnes virtutes indico dico meas.  
7 Per me igitur quam sint momenta fugacia nosce.  
8 Consule facturus : fac propere id, quod agis.

E1\_54 v.1 Non te ego Asellanum, nec dicam nomine Asellum  
2 sed dicam te asinum, es terque quaterque asinus.

DE ANICULA, NOMINE DICTA ANNA

E1\_55 v.1 Nil magis est velox, quam tempus ; temporis Annae  
2 est multum, unde pigros vix movet Anna pedes ?

DE CONIUGE LILIAE MORTUAE

E1\_56 v.1 Cui moechos conjux ducebat, mortua Lilia est.  
2 Flet vir. Quid ? Capiti cornua dempta suo.

AD MARCELLINAM

E1\_57 v.1 Marcellina : tuus puer, est quo patre creatus ?  
2 Respondet, ne erret, est pater huic veretrum.

AD UXOREM DUCTURUM

E1\_58 v.1 Nervosam fugias : mollem quaere atque venustam

2 uxorem. Nervum non habet : ipse dabis.

DE MULIERE QUATER NUPTA

E1\_59 v.1 Quatuor exstinctis ubinam tumulanda maritis  
2 uxor ? Nempe decet quattuor esse locis.

EPITAPHIUM PRAEDIVITI ET AVARAE FEMINAE  
QUAE AD MORTEM SAEPIUS AEGROTARE, ET CONVALESCERE SOLEBAT

E1\_60 v.1 Quis tantam lapidis molem imposuere sepultae ?  
2 Heredes : surgat ne rediviva, timent.

IOCUS DE OCULO CYCLOPUM

E1\_61 v.1 Unoculos illos, quae res tam mira fuisse ?  
2 Ille etiam noster, qui sedet unoculus.

IANI DOMINICI CANCIANINI SPILIMBERGII EPIGRAMMATUM LIBER SECUNDUS  
AD PERILLUSTREM DOMINUM ERASMUM VALVASONUM

DE EIUS DIVINO OPERE ANGELEIDE

E2\_1 v.1 Virgilio Aeneas, Pelides debet Homero :  
2 ast Erasme tibi ? Caelestia Numina debent.

DE AULERCO

E2\_2 v.1 Capta oculo ancilla Aulerici claudicat uxor :  
2 ille ancilla sua est, uxor et ille sua.

AD NOCTILUM

E2\_3 v.1 Esse meos versus obscuros, Noctile, dicis.  
2 Dic potius caecum te esse, videre nihil.

DE AMATORE MUTO

E2\_4 v.1 Mutus amore ardet. Caecum duc, mute, tu Amorem,  
2 et tu pro muto caece loquaris Amor.

DE ROMA

E2\_5 v.1 Plusquam olim nunc, Roma viges, nunc maxima Roma es  
2 nam quondam terris, nunc dominare Polo.

## DE PETRA CALINA BRIX.

E2\_6 v.1 Qualis in Aegeo cautes asperrima ponto  
 2 funditur, et cumulis firma resistit aquae,  
 3 cumque magis crescant fluctus, mage robora durat  
 4 adversus moti verbera saeva maris :  
 5 sic ferrum et flammae nequerint hanc vincere Petram.  
 6 O Virtus : quam vis vincere nulla potest.

## ALIUD

E2\_7 v.1 Feminae cunctae faciles creantur,  
 2 feminae nullae reticere possunt,  
 3 feminae frondi similes : ad ista  
 4 femina Petra est.

## AD SELIN

E2\_8 v.1 Dimidiae Selin curva plus cornua Lunae :  
 2 et fiat vacuus circulus in medio.  
 3 Hoc insigne tuis gestetur gentibus aptum,  
 4 namque tibi nullum nunc erit Imperium.

## ALIUD

E2\_9 v.1 Indicium faciunt de te tua nomina versa,  
 2 o Selin : Niles. Sic prope finis adest.

## IN MEDICUM H.

E2\_10 v.1 Quae facies medici : mendici protinus illam  
 2 intuitus duxi, corpora numne juvat ?  
 3 Ipsa salus testis : nullum umquam misit ad Orcum.  
 4 Quid dicis ? Verum ; nam nihil ille facit.

## DE LEUCATRO

E2\_11 v.1 Leucater coitu dives, nummisque superbus,  
 2 jam senior canus non sibi busta parat.  
 3 Non ob avaritiam, vel quod sit nescius esse  
 4 mortalis. Causa est consocialis amor.  
 5 Vivus cum viva ut socru se immiscuit : illa  
 6 sic cum defuncta, mortuus, esse cupit.

## AD QUANDAM NON SINE PIGMENTO ET FUCO

E2\_12 v.1 Miror, et admiror te, non accensus amore ;  
 2 sed quia spectanda est forma stupore tua,  
 3 forma tua est facies, facies vel picta figura.  
 4 Proh : pictura audis, cernis, et alloqueris.

## DE CANIS

E2\_13 v.1 Qui caput ob cura juveni canescere ducis,  
2 cur nigro huic albet plurima saeta sui ?

## DE LAUREO

E2\_14 v.1 Induperatores et vates laurea honorat.  
2 Laureus est Regum, Pontificumque decus.

## R.MO NORES, APOST. VISIT. SPILIMBERGO DECEDENTI A PUERO HABITUM

E2\_15 v.1 Clare Atavis, virtute potens et numine divo,  
2 digne Pontificis mystica sceptras gerens,  
3 sacratum rector, moderator et optime rerum,  
4 laudem ex infanti en perficit ora Deus.  
5 O quos aeternos (caelestia munera) fructus  
6 tempore in autumnu dat tua lingua, manus :  
7 dat tua lingua, manus, quod sancte pectora nutrit,  
8 quin animos tollens, sistis in arce poli.  
9 Res loquitur quantum sint justis Caesar honores  
10 jam tibi, jam summi, et nomina vera tua  
11 sed nos, ah, linquis, linquis nos corpore sancto.  
12 Sis memor o, queis non te auferet ulla dies.

## DE PRIMO DIE AUGUSTI

E2\_16 v.1 Augusti celebranda dies en prima Falerno  
2 venit, et augusta non fugienda dape.

## EXTOLLIT SIMPLICEM LEUCOTHOES CANDOREM

E2\_17 v.1 Esse deam Venerem rubro sine sanguine, monstrat  
2 a Diomedea vulnera facta manu.  
3 Candida Leucothoe nullo suffusa rubore  
4 est Veneri similis : forsitan ipsa Venus.

E2\_18 v.1 Dum sua rura Micon lustrat, vineta peragrans,  
2 innuptae et natae cura molestat eum :  
3 arbore in annosa, foliis, viridique, carente,  
4 quae certant cerae, Bacchica dona videt.  
5 Conjugium vitis laudat, miratus, abitque :  
6 en datur a fatuo filia pulchra, seni.  
7 Mox cum purpureo lignum sine honore reversus  
8 vidisset, sero callidus ipse dolet.  
9 Uva velut stipi (exclamat) male tuta rigenti,  
10 sic splendet vetulo juncta puella viro.

## AD LIGUSTRINAM

E2\_19 v.1 Huc panis, vinum, huc lana, huc linum (ferit astra  
2 vox multa) agni, et oves, huc vituli, atque boves.  
3 Audis clamorem ? Cernis cum stramine ut essent  
4 accenso celeri turba sonora pede ?  
5 Orgia nocturno, nec non Cerealia sacra  
6 tempore concelebrant, et simul illa Palis.

7 Antiquus mos est. Ex agris venit in Urbes.  
 8 Sunt sacra, quam pridem, nunc veneranda magis.  
 9 Alba Ligustrina, adsis. Quin age tu quoque clama :  
 10 sed tibi non facula, sat tua forma nitet.

## DE PISTOLEO FURE

E2\_20 v.1 Pistoleus caput est lictorum factus. Ab ipsis  
 2 fur fieri tutus non melius poterat.

## IN INDIRECTUM

E2\_21 v.1 Si Virgo, Gemini, Chiron, Libra, Urna tibi essent,  
 2 esses perfectus signifer ille Poli.  
 3 At post quam quinque haec absunt : obliquus ut ipse  
 4 signifer, es, scis quid ? Nil rationis habens.

## IN LAURAM PETRARCHAE

E2\_22 v.1 Unde Amor, et qua Aurum sumpsit tam divite vena,  
 2 perficeret flavas ut tibi Laura comas ?  
 3 Ex quibus in spinis roseos decerpsit odores ?  
 4 Queis collecta plagis cana pruina fuit ?  
 5 Cuncta haec quo pacto valuit confundere sensu ?  
 6 Edere candidulas, flameolasque genas ?  
 7 Gemmarum unde duplex series albissima venit,  
 8 qua frangit, nec non dulcia verba premit ?  
 9 Unde tot, et tales referat mea lingua decores  
 10 illius clarae frontis et empyriae ?  
 11 Num quibus a Divis, sphaeris modulamina movit  
 12 ipse puer, queis me jam facit esse nihil ?  
 13 A quo sole acies oculorum dia refulget,  
 14 quae nobis est pax, proelia, flamma, gelu ?

## DE FULVII RORARI PSYCHE

E2\_23 v.1 Florifero late in campo hic est Regia Psyche.  
 2 Hic illi vincli dat se in amoris Amor.  
 3 Ast magis est gaudens Rorari carmine Psyche.  
 4 Quam dulci nodo, quo sibi adhaeret Amor.

## AD NIGRAM

E2\_24 v.1 Nocturnis thalamis non audes sola cubare,  
 2 et tibi vis socias Daemone Nigra pavens  
 3 daemone ne trepida, nam tu es deformior illo  
 4 crede mihi, Daemon te pavet atque fugit.

## AD LAVINIAM

E2\_25 v.1 Orabas templo, cum te, Lavinia, vidi.  
 2 Ni orasses, fueras tu Dea culta mihi.

## AD AURELIAM B. S.

E2\_26 v.1 Aurea alia es Venus, et si orbi non mater Amoris,  
 2 et curvata tuus non gerat arma puer.  
 3 Nec mirum est, arcum si non fert iste Cupido ;  
 4 namque tuis oculis tu aurea tela jacis.

## DE ALOYSIO GROTTO

E2\_27 v.1 Quid si Grottus amat, cum sit sine lumine natus ?  
 2 Nil mirum. Ipse fuit sic quoque natus Amor.

## DE PHIRNE

E2\_28 v.1 Cum coiturus eo venissem, reddere honorem  
 2 dum volo : Phirne inquit : non mihi fiat honos.

## AD LYRAM

E2\_29 v.1 Nec fluvios sistas, nec cures saxa movere.  
 2 Fac tantum mitem, quae mihi saeva fera est.

## LYRA

E2\_30 v.1 Auritas Rhodopes deduxi carmine silvas.  
 2 Constitit ad nostrum Sithonis unda melos.  
 3 Scis cur non ea nunc facio miracula ? Non est,  
 4 quae mihi det voces, Threicia illa manus ?

## DE VARIETATE

E2\_31 v.1 Planities aequa haud ipsa : alta cacumina montium  
 2 imparia, et colles sunt quoque dissimiles ;  
 3 diversi lapides, flores, plantae, atque animantia.  
 4 Inter se distat plusquam homo, nil varium.

## AD ARCANGELUM CONCIONATOREM

E2\_32 v.1 Fulmineo e summis dejecit sedibus ense  
 2 aetherius miles Luciferum in tenebras.  
 3 Luciferi e manibus, Barathroque Arcangelus ipse  
 4 sola animas tollis voce, locasque polo.  
 5 Si majora mihi fas est componere magnis,  
 6 haec major virtus, illaque prima minor.

## LANIUS

E2\_33 v.1 Deposita sicca, meliorem ducere possim  
 2 ut vitam : cepi dilaniare boves.

## HOEDUS

E2\_34 v.1 Non feror invitus. Vestris me absumite mensis.

2 Sim potius, quam hircus, mortuus, atque nihil.

SINAPIS

E2\_35 v.1 Exiguum munus mittor lacrimosa sinapis.  
2 Quomodo grate tibi, si cieo lacrimas ?

AD PERILLAM

E2\_36 v.1 Das violam, nil das aliud formosa Perilla ?  
2 Si te non violo, nolo tuam violam.

DE GASPARE NARVESA PICTORE COMPATRE

E2\_37 v.1 Post pictas similes vivis Narvesa figuras ;  
2 fit vir, vult vivas omnimode efficere.

AD NASUTUM DE HIERONYMO NARCIS

E2\_38 v.1 Cui foetent omnes, Nasute : hunc olface florem.  
2 Narcissus flos est, olface, flosque vivum  
3 tam nitidum, et gratum nam cum tu olfeceris illum  
4 vitae auram optabis, non aliunde, tuam.

AD MUSAM IN ADVENTUM BERNARDINI PARTHENII

E2\_39 v.1 Musa mea, o mea Musa exi, quibus abdita, ab antris,  
2 forsitan exstinctam te, mea musa, voco.  
3 Non sic clamatus per litora, per nemora ille  
4 pulcher, et infelix, nomine dictus Hylas.  
5 Exi hilaris tandem, non sunt ea nubila mentis,  
6 ob quae fugisti, sed mihi laeta dies.  
7 Euge en Parthenius venit praesentia tanti,  
8 tam Cari et capitis jure colenda tibi est.  
9 Ille suam, et nostram scis quantum ad sidera tollit  
10 hanc Patriam, talis quando Poeta fuit ?  
11 Patri, et Patrono, tantum inclinere silendo.  
12 Illius in laudem sat sua scripta sonant.

AD CLARISSIMUM FRANCISCUM FALLERIUM

E2\_40 v.1 Te immensa gravitate virum, te Numen in orbe  
2 divinum veneror, pronus colo paene, et adoro.  
3 Accessi versu, at tanto sub pondere pressus.  
4 Nunc bene cognosco, quod non sum stellifer Atlas.  
5 Fallor, Falleri, Frangor, Francisce, tuorum.  
6 Agressus meritum laudes, et dicere facta.

AD EGREGIUM UVAE ELLUONEM

E2\_41 v.1 Cerea sit quamvis nostri vindemia agelli  
2 cernitur haec eadem semper acerba tibi.  
3 Est natura autem : sed pallens oris hiatum  
4 illa tui, talis sit tibi, non aliis.



IN ADVENTUM ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI MARINI QUIRINI CONCORDIAE EPISCOPI CUM  
BONAVERIO VICARIO PER SACERDOTE VILLARUM MANLINSII ET GRYPHI

E2\_42 v.1 Adriaci generosa maris, regumque propago  
2 magne heros, custos gregis, et speculator ovis  
3 summi Pastoris, qualis quondam fuit ille,  
4 lumina qui centum vigilantia fronte gerebat,  
5 nostrarum regum columen, bona vera reportans,  
6 salve : optatus ades. Te a Manli nomine dictum,  
7 te et Gryphi rus, nocte ; die, et nemora ista vocabant,  
8 queis praesum incertus, ni me tua gratia firmet.  
9 En tibi se ut colles submitunt, prata supina  
10 assurgunt, en exsultant hominesque feraeque.  
11 Tantum ob diva tui praesentis numina gaudent.  
12 Magna haec, laetitia, at major ; quin maxima fiat,  
13 sit, quando repetat Romanus Juppiter astra.  
14 Roma tibi, et Caelestia subdita Regna Quirino.

AD SUOS VERSUS SALUTATUM OCTAVIUM IURISPERITUM

E2\_43 v.1 At nunc a studiis clientibusve,  
2 a docta cithara, suisve curis  
3 vacat maximus is meus patronus ?  
4 Non : numquam requiescit. Ille cursu  
5 curarum sedet usque et usque currit,  
6 ceu sol irrequietus atque firmus.  
7 Sed vos nil dubitate, nil timete,  
8 vos o versiculi mei pudentes  
9 Maeninum petere, ac ei salutem  
10 nostro dicere nomine is juvaret,  
11 nos reos capitis, celer salute.

AD SERVILIUM THROEUM IURISPERITUM UTINENSEM

E2\_44 v.1 Throee, mihi (recolis ? ) dixisti talia verba ?  
2 Quid stas ? Conjugii sit tibi rupta mora.  
3 Ergo tuae doctae quaeso per fulmina linguae,  
4 ut si conjugii nunc tibi cura mei  
5 tu juvenem invenies, vultuque, et more decoram,  
6 quae bene sit nata, et (non sine dote) parem.  
7 Sum tibi devinctus totus, nec sum satis unus.  
8 Vellem etiam de me pignora vincta tibi.

AD MARCUM ANTONIUM FIDUCIUM

E2\_45 v.1 Fiduci pater omnium leporum,  
2 cui assurgunt Charites, novem et Sorores,  
3 si quando aut Latio, locisve Graiis  
4 illarum virides manumque fidam :  
5 quin laudes recinendo, sarta ponunt  
6 de lauro capiti tuo Camenae.  
7 Gratiae (ac) properant novum sedile  
8 seni spargere floribus venusto.  
9 Quid tu ? Illis modulans refers honores,  
10 atque auges radios Apollinares,  
11 clarus luce tua : placesque Phoebo.

12 Illuc, unde abii in viam revertor.  
 13 Est desiderium mihi supremum,  
 14 par tuis meritis, meoque amori :  
 15 vellem, quas habeo, referre posse,  
 16 ne dum dicere, gratias : tibi inquam,  
 17 tot, ut sint numero quasi carentes.  
 18 Vellem, et carmina dicere altiora,  
 19 atque iis carminibus te ad nostra ferre,  
 20 te tam magnificum virum, probumque,  
 21 quam qui maxime, et optimum poetam.  
 22 Sed jam cum volo, non mihi est voluntas,  
 23 ut sim perpetuo tibi obligatus,  
 24 Fiduci, pater omnium leporum.

## AD PAULINAM UXOREM

E2\_46 v.1 Res mihi cum cunctis placitis est lina puellis.  
 2 Quas aveo, illae omnes tu mea Lina mihi es.

## DE BARGAEO ET TITO

E2\_47 v.1 Ut nitidam gemmam purum circum ligat aurum,  
 2 nobilis et firmam circulus usque gerit.  
 3 Illa habeat citharam et Phoebum ; doctasque Sorores  
 4 qualis erat Pyrrhi lucidus ille lapis.  
 5 Sic ego nempe Titum et Bargaenum pectore servo.  
 6 Dicere sed laudes lingua stupore nequit.

## DE SE AEGROTANTE

E2\_48 v.1 Impulerat febris deponere membra cubili  
 2 languida ; nuncque gelu, nuncque aestus me exagitabant  
 3 essem ut perpetuo nuda umbra atque ostia Diti,  
 4 qualis in aeriis, si quando montibus ornum  
 5 hinc Aquilo hinc Notus insurgens divellere temptant,  
 6 annis firmatam, et duratam robore multo :  
 7 illa tremit, motatque comam spoliata decore.  
 8 Sic ego jactabar lecto, non inde movebar :  
 9 Morsque minabatur capiti, falcemque tenebat.  
 10 Pulchra sub Auroram ter juncto Cynthia cornu  
 11 splendebat terris, quando haec mihi visa fuere  
 12 in somnis, quae etiam potuerunt rumpere somnum  
 13 cerno, ut qua vehitur carbo, fuligine nigram  
 14 portari cistam longum et funebre feretrum.  
 15 Mortuus intus erat, juvenes hunc praecedebant  
 16 cantantes duo, vox sublimis, carmina vero  
 17 Sapphica, sed tantum ex his unum rite recordor.  
 18 Cessit aegroto tibi dira Febris (...)  
 19 Cessit et aegroto febris mihi dira, soporque :  
 20 mortuus et morbus tenuas secessit in auras.  
 21 Sed tamen haec tristis semper deterret imago.

## DE AEDIBUS ILLUSTRISSIMI PROSPERI VICECOMITIS MEDIOLANENSIS

E2\_49 v.1 Quae res exornant hac alta palatia mirae :  
 2 construxit Prosper quae vice tecta, comes,  
 3 ornamenta illis sunt multa, et maxima, verum  
 4 quod magis insigne est, est herus ipse, decus.

## ALIUD

E2\_50 v.1 Quis molem ? Prosper. Vice num Comes ? Ille paravit.  
2 Cui nam ? Vel mi. Quae es tu ? Dea prosperitas.

## NOENIA LUCRETIOLAE UNICAE EIUS FILIOLAE

E2\_51 v.1 Est hic parva mea est hic tam pulchellula nata :  
2 est hic in cunis Lucretioliola.  
3 Salve mi sanguis, sed dormi filiola ; et tu,  
4 Somne, veni nostrae Lucretioliolae.  
5 Hunc auriculis, hunc clausis accipe ocellis,  
6 blandula nata mea Lucretioliola.  
7 Jam dormire cupit, totam dat se ipsa quieti.  
8 En dormi, dormi Lucretioliola.  
9 Audiatur haec Somnus, non nostra infantula. Somnum  
10 alloquar, haud nostram Lucretioliolam.  
11 Somne, adsis, violas Somne atque papavera plena  
12 sparge manu carae Lucretioliolae.  
13 Puppula ut optimula est, non vagit, sed neque ridet  
14 risum habet, et vultu Lucretioliola.  
15 Hinc mala Melline, hinc fuge, somnia namque fugasti  
16 tu mater lecta Lucretioliolam.

## ALIA NAENIA

E2\_52 v.1 Au, au, nata sile. Au, au, sentis ? Comprime buccam.  
2 Claude oculos jam, nigra ea felis adest.  
3 Nigra ea felis adest, puppas quae devorat omnes,  
4 quae nolunt somnum, vociferantque malae.  
5 Hic non puppa mala est, sed puppa bona, o mala felis.  
6 Hic silet in cunis Lucretioliola.  
7 Lucretioliola, en abiit felis nigra, ride,  
8 ride, nec paveas, nam nigra felis abest.

## DE IPSA LUCRETIOLIOLA

E2\_53 v.1 Non nata refert aviam, matremque patremque,  
2 non minimula ergo est : sed mage maximula.

## AD MINDUM

E2\_54 v.1 Nec pede tu juncto, nec scribis, Minde, soluto.  
2 Et tamen o scribis, Minde, in utroque modo.

## EPITAPHIUM FR. PARACLITI FRANGIP.

E2\_55 v.1 Haec Frangipanis sunt ossa Paracliti in urna,  
2 vatis, pro Caelo respuit ille solum.  
3 Nobilis abjecit fastus, se addixit eremo,  
4 inclusit secum Castalique Deas.  
5 Dumque Deo servit summis longiquus ab oris,  
6 en Deus, en illum vult sibi adesse polo.

IANI DOMINICI CANCIANINI SPILIMBERGII EPIGRAMMATUM LIBER TERTIUS  
AD PERILLUSTREM DOMINUM ERASMUM VALVASONUM

IN EIUS POEMA DE VENATIONE

E3\_1 v.1 Deliciis habiles, cunctis venatibus aptos,  
2 custodesque altae, est quae tibi turba, domus :  
3 vidi ego (quis redeat) vidi, te, Erasme, legente  
4 hoc opus, intentos abstupuisse canes.

DE VENETIIS

E3\_2 v.1 Immotam fluctu spumosos sustinet Urbem  
2 Adria magnificam, ceu mundum mobilis aer.  
3 Vix credas cernens. Ponto se ad sidera late  
4 tollunt templa, arces, passimque palatia Regum,  
5 et procul advectae magna gravitate columnae.  
6 Hic dulces populos sanctusque piusque Senatus  
7 pace regit summa. Hic est rerum maximus ordo :  
8 jura, magistratus, leges, studiumque Minervae,  
9 et quicquid Venus, et quicquid Mars postulet acer,  
10 floret Relligio in primis, Astraetaeque Virgo :  
11 omnes spargit opes, e pleno copia cornu.  
12 Hanc ubi sic positam voverunt aurea fata  
13 pondere librari proprio, non firmus ut Orbis  
14 ipsa sita est ? Non cuncta etiam per saecula manebit.  
15 Corruet haec, quando labetur machina mundi.

DE EIUS ODE REALTINA

E3\_3 v.1 Qui negat esse gravem, quae Pontem continet, odem.  
2 pons, etiam dicat, nil gravitatis habet.

AD SERENISSIMOS NORICORUM PRINCIPES, PHILIPPUM ET FERMINANDUM,  
ROMAM ITER VERONA FACIENTES MDXCIII

E3\_4 v.1 Clara Deum soboles, nati ad diademata fratres,  
2 fratres, ceu Pollux, Castor et ipse fuit :  
3 vos quanto exspectet Romanus Tiberis honore,  
4 adventu exsultans indicat ecce Athesis.  
5 Ite magi duo, sed tantum pia corda gerentes,  
6 summi ad Pontificis sistite vosque pedes.  
7 Vos felix astrum praecedat numine magno.  
8 Qui est Christus, vobis Regna superna dabit.

IN TEMPLUM DIVI LAURENTIS EXCURIALIS A REGE CATHOLICO EXTRUCTUM

E3\_5 v.1 Aedes, quam spectas, opus est Regale Philippi.  
2 Laurenti exstructa est, atque dicata Deo.

3 Res monet, ut divus pro Christo totus obivit,  
4 sic Rex pro Christo scanderet ipse rogam.

EPITAPHIUM PAROCHI IUSSU DO. MARIAE VICE COMITIS MEDIOLANENSIS DUCIS,  
VIVI SEPULTI.

E3\_6 v.1 Qui super exstinctos cantabam, et maesta feretra,  
2 subter defuncto nunc fleo, et exanimor.  
3 Spernite avaritiam, atque inhumatos condite bustis  
4 quando opus, et gratis vos similes parochi.

IN SUUM VERONA REDITUM

E3\_7 v.1 Ad patrios Genios, ad dulcia tecta relict  
2 vere novo venio, qualis hirundo venit.  
3 Salve Spilimbergum, vos Dii salvete salubres.  
4 Cor citius vobis, intima sacra ferens.  
5 Et merito Domini, vos Divos nomino, quando  
6 a vobis in me tot benefacta cadunt.  
7 Vix (quantum refert frugi virtute madere)  
8 accessi : divum me fovet aura meum.  
9 Rectores, proceres, cives, populus, ciet alte  
10 quisque sonum, clamans : Cancianinus adest.  
11 Adsum, quem tellus optabat Julia adesse :  
12 in qua dulce mihi est vivere, dulce mori.

AD THEODORUM ANGELLUCIUM VENETIIS ANATHOMES LECTOREM

E3\_8 v.1 Te vinci ingenio Theodore, et Apollinis arte,  
2 nec non eloquio, dicere si quis amat :  
3 hic etiam, nulli quod fas sit credere, dicit :  
4 dissectum hoc corpus sponte coire sua.

MERETRICIS INCISAE MATRIX AD TACINUM INCISOREM

E3\_9 v.1 Nonne satis, vivam tot me vexasse Priapos ?  
2 Quae feritas ita est saeve Tacine tua ?

DE BOMBYCIO

E3\_10 v.1 Quod genuit, numquam vidit Bombycius ortum.  
2 Ut moritur Bombic, vita peracta fuit.

EPITAPHIUM SILLAE RICCHERII

E3\_11 v.1 Sillam Riccherium nequit mors vincere in armis.  
2 Incautum, a bello dum redit, ecce negat.

EPITAPHIUM SIRENIS COLLORETAE SPIL.

E3\_12 v.1 Obliquo e scopulo non hic est (jam) nova Siren ;  
2 colle sed erecto nobilis illa jacet.  
3 Et vultu, et cantu potuisset vincere mortem,  
4 sed non audivit mors, neque vidit eam.

## AD LEONARDUM CISTERNIUM TRAIANI FILIUM

E3\_13 v.1 Jure Leo, jure et Nardus tibi nomina praebent ;  
2 namque es magnanimus, frugi et odore viges.

## DE QUONDAM NOMINE PRAESIDIO

E3\_14 v.1 Talia praesidium patri responsa querenti :  
2 Cur quereris genitor ! Non sum ego praesidium ?

AD CLARISSIMUM GEORGIUM GRADENIGUM  
IN OBITUM ILLUSTRISSIMAE LAURAE VALERIAE UXORIS

E3\_15 v.1 Ut melius scandas caelum, en tua Laura ad Olympum  
2 scala tibi : Laurei sunt Gradenica Gradus.

## ALIUD

E3\_16 v.1 Hoc Gorgius Laurae construxit Laurolaeum.  
2 Quis Gradenicus ? Sic est. Ergo Valeria obivit  
3 inclyta conjux ? Vivit vir sine conjuge ? Vivit,  
4 et lauro aeternat, quod majus mausolaeum ?

## AD LOCUPLETEM ET VOLUPTARIUM AMICUM

E3\_17 v.1 Te insanum dicis : post, si sum ego, vis, tibi dicam.  
2 Sum insanus fateor terque, quaterque tibi.  
3 Curae me insanum faciunt, te immensa voluptas.  
4 Quod vis, tu nescis. Quod cupio, esse scio.  
5 Ergo quis est nostrum mage sanus, captus (.....)  
6 at mea mutetur condicione tua.  
7 Frustra haec exopto, pulvis nam mortuus intra  
8 aridulam ast silvam, et grandia saxa tegunt.

## IN OBITUM FABII FILIOLI

E3\_18 v.1 E tumulo saltem exiret mihi flosculus ipso,  
2 esset (...) pati pallidula mei  
3 narcisso similis, cur non mutatur in illum ?  
4 Hei mihi quo eam spes, deliciaeque meae,  
5 usque illum olfacerem, usque alerem, suspiria et auras  
6 usque illi, rores usque darem, et lacrimas.

## PRONOSTICA MORTIS EIUS

E3\_19 v.1 Tam graviter natum cecidisse, soloque jacere,  
2 me, longe arcersens, littera cum petiit :  
3 et mox, ut vanae Circes mala litora Graii,  
4 quasque habet humana sub specie, ipsa feras :  
5 texisse in somnis capiti velamen arachnem,  
6 quae rostro fixit (sic mihi visa) caput.  
7 Esse lyram sponte abruptam di vulsaque plectra  
8 et globuli ante pedes ni cecidisse animam :  
9 signa haec interitus nati, patresque fuere.  
10 Ille, heu, heu, corpus : perdidit ego, heu, animum.

## ALIUD

E3\_20 v.1 Praedonum crudele genus quod saevius isto !  
 2 Praedones natum surripuere meum.  
 3 Surripuere illum, nam mortis causa fuere  
 4 praedones isti. Sunt cito praeda necis.

## ALIUD

E3\_21 v.1 Sublato ut Tigris sibi fetu exasperat iras,  
 2 sic ego : sed magnus Juppiter ultor erit.

## IN OBITUM FERILLUS, DOMINI ERASMI VALVASONI

E3\_22 v.1 Nunc, Heros, es non homo, sed Numen tu. Ego Numen  
 2 ploro mortalis te ? Oh dolor, oh pietas !

## ALIUD

E3\_23 v.1 Amplius haud Musas, nec Phoebum Erasme vocabo,  
 2 sed te. Tu aspices versibus aura meis.

## ALIUD

E3\_24 v.1 Altera bella inter caelestia Numina et ima  
 2 pugnata, Erasmus dum petit alta Poli.  
 3 Magnum certamen, pars sursum, parsque deorsum  
 4 concurrunt. Certant pro generosa anima  
 5 Luciferi rursus victi, Michaelis et arma  
 6 rursus victoris. Quae lyra digna sonet ?  
 7 Nusquam est Angelidae digno qui carmine pangat,  
 8 ut pius Erasmus nullus in orbe viget.

## ALIUD

E3\_25 v.1 Erasmus, heros ille Valvasonius,  
 2 terrarum et Orbi et Aetheri notissimus,  
 3 vir frugi ad unguem, ceu poeta nobilis :  
 4 tendens ad astrat liquit. Hoc sub marmore  
 5 mortalitatem, omnes et aegritudines.  
 6 Vates beatus astra summa possidet :  
 7 quin Cycnus alter splendet aureo sidere.

## ALIUD

E3\_26 v.1 Per maris huc rores, immortales amaranthos,  
 2 laurosque et myrtos queis vireat tumulus.  
 3 Hic magnus Vates, hic praeclarissimus Heros,  
 4 hic ille Erasmus, noster Apollo, jacet.

## AD SERENISSIMUM SENATUM VENETUM

E3\_27 v.1 Pacis amatores fatalem conditis arcem

2           contra illam hostilem, quae inferat arma, manum.  
 3 Marcia gens, domini, quin et Mavortia, quando  
 4           res poscat : tantae pergite molis opus.  
 5 Indite ei nomen, quo tellus ipsa vocatur,  
 6           qua struitur felix nomen et omen habet.  
 7 Omnemque, et nomen victricia gesta sequantur.  
 8           Palmata Arx palmis aucta sit usque novis.  
 9 Non justina gerens palmam palmata ? Videte  
 10           quae concurrunt mysteria magna nota.

## DE VENETIIS ET URBE PALMA

E3\_28 v.1 Reginam Oceani Cybele prospexerat unda  
 2           Adriaca stupuit : sed diadema magis.  
 3 Non de conchyli structo, sed turribus altis,  
 4           invidit : longo tempore questa, silet.  
 5 Juppiter huic tandem tibi nunc en Palma Corona.  
 6           Ceus stupor haec terris, ceus stupor illud aquis.

## DE PALMA ET UTINO

E3\_29 v.1 En crescit Palma, en Utino nova nupta paratur.  
 2           Palmae Utinum sponsum se haud minus, ecce, parat.  
 3 Divus, Hymen, Marcus, Veneto est et, pronuba, diva,  
 4           quales vir fetus, atque virago dabunt :  
 5 jungite jam dextras, et connubialia jura,  
 6           Utinus et jam sit denique, non Utinum.

SEPULCHRETUM HAEBRAEORUM INTRA MOENIA UTINI, UTINUM ALLOQUITUR,  
DUM UTINEAE MUNITIONIS ERGO ABSCINDITUR ET COARCATUR

E3\_30 v.1 Haec mea damna mihi non est sufferre molestum,  
 2           tu, circumcidi quomodo te pateris ?

## AD HERSEN

E3\_31 v.1 Et velles fieri, si posses, masculus, Herse ?  
 2           Ecce potes, tibi ego mascula membra, dabo.

## AD MATREM ILLAM FAMELICAM HAEBRAEAM

E3\_32 v.1 Quae tam dira fames tibi suasit mandere natum  
 2           crudelis genetrix, et mage dira fames ?  
 3 Tunc miseranda quidem (...), et lacrimis veneranda  
 4           (lacune)

## EPITAPHIUM PORCIAE COLLORETAE RICCHERIAE

E3\_33 v.1 Porcia Pompei, cedat cui Porcia Bruti,  
 2           Riccherii conjux nobile marmor habet.  
 3 Huic amor in natos, praesignem honor inque maritum,  
 4           inque Deum cultus torrida pruna fuit.



## EPITAPHIUM ABORTI

E3\_34 v.1 Tantus erat tantos ardor mihi nosse parentes,  
 2 ut celerans ortum, nascerer ante diem.  
 3 Parcite vos alii nimium affectare, volentes.  
 4 Hoc, me tantillum tam exigua urna capit.

## IN NUPTIIS MARCHESII FORTUNATISSIMI ET LUCINAE NOBILISSIMAE

E3\_35 v.1 Marchesio Lucina datur. Mare is, est ea Luna.  
 2 Sic splendet nitido lucida Luna mari.

## DE MILLULA

E3\_36 v.1 Millula bella venit, quae vult colludere mecum,  
 2 intempestivo cujus amore cremor :  
 3 Di vel me puerum, ceu ludus postulat, illam  
 4 vel faciet, qualem jam cupio ustus amans.

## AD GALLAM

E3\_37 v.1 Ceu Tropicas inter currit sol, atque recurrit,  
 2 temporis est sic plus, et tibi Galla minus.  
 3 Nuncque novem atque decem, nunc (anni) sunt tibi Galla  
 4 nuncque viginti anni, nuncque novem atque decem.  
 5 Scilicet aetatis Cancrī hi sunt, et Capricorni  
 6 Galla tuae, o juvenis Galla, simulque senex.

## DE PRAXIA ET NICOMACO

E3\_38 v.1 Praxia, Nicomachus : vir, conjux : sunt simul usque,  
 2 inter eos magnus nonne videtur amor ?  
 3 Mensa una, una illis mappa, et lanx, atque lagena,  
 4 inter eos magnus nonne videtur amor ?  
 5 Una esca, unusque est culter, cyathusque merumque,  
 6 inter eos magnus nonne videtur amor ?  
 7 Omnia sunt illis communia, et unica semper.  
 8 Inter eos magnus nonne videtur amor ?  
 9 Haec fiunt, quoniam metuit sibi quisque venenum.  
 10 Inter eos nullus nonne videtur amor ?

## NATO SIBI FILIO

E3\_39 v.1 Quando ego non aliter possum revocare parentem,  
 2 hic Bernardinus nomine dictus erit.  
 3 Nec satis est nomen, simili nec imagine vultus  
 4 sit proba vita : pater tunc erit illa meus.

E3\_40 v.1 "Fac faciat famula" : uxori inquit saepe maritus.  
 2 Est ancilla rudis ; sed domina ipsa magis.  
 3 Imperat haec illi numquam, numquam illa agit ultra.  
 4 Quid ? Serva, a Domino sedula facta, parit.

## DE QUODAM CAUSIDICO

- E3\_41 v.1 Clamat causidicus quidam nimis ora strepitque.  
 2 Voce vale multum, lege sed ipse nihil.  
 3 Unde haec didicit ? Quae schola, aut quis fuit autem  
 4 nempe auctor vulgus, quae platea schola fuit.

## AD GEMMINIANUM SABILUM CONCION

- E3\_42 v.1 Sunt gemmae sensus, gemmae pretiosaque verba,  
 2 vel tu nos gemmas Gemminiane facis.

## IN CINERES CAECILIAE CORNELIAE NOB. VENET.

- E3\_43 v.1 Ussit corda Deum mediis Cornelia in undis.  
 2 Vertit eam in cinerem incendia magna Deum.

## ALIUD

- E3\_44 v.1 Caeciliae cinis hac paria servatur in urna.  
 2 Quis custos ? Prorsus lumina apertus, Amor.

## EPITAPHIUM THADEAE NOB. SPILIMB.

- E3\_45 v.1 Exuviae praeclarae animae, spolia usque verenda  
 2 tantae matronae, non Thadea est tumulo.  
 3 Luce alia fruitur divina luce refulgens.  
 4 Nunc nil cum fragili corpore ut ante fuit.  
 5 In terris vixit summa integritate virago,  
 6 ore juvans, et re, quindecim Olympiadas.

## ECHO SOLUTO PEDE DESCRIPTA

- E3\_46 v.1 Urnam adeam ? Deam ? Ecce Echo.  
 2 Deam ista ? Ira. Iraceam ? Eam. Ut non  
 3 dignus ? Non dignus. At moralem. Talem.  
 4 Quam ego habet urna ista Deam ? Thadeam  
 5 Spilimbergiam illam jam est sine vita ? Ita.  
 6 Heu exemplar erat heroinarum harum ex -  
 7 -emplar. Sapientissima. Pientissima.  
 8 Digne qui personabit. Sonabit. Tot  
 9 laudes civis jus omnium dolores ? Olores  
 10 urna cum ista Dea vale. Thadea vale.  
 11 Echo et tu. Et tu. Valeas. Eas.

## IN OBITUM IACOBI CLAPICEI MED. PHI.

- E3\_47 v.1 Clapiceus jacet hic medicus. Mors tollere ut illum  
 2 non potuit, morbo sustulit absque malo.

## EPITAPHIUM IACOBI CISTERNINI IURIS.

- E3\_48 v.1 Eximius legum doctor sub mole Jacobus  
 2 hac Cisterninus (proh dolor ! ) ille jacet.

3 Ille, altum juris columnen praesentia cuius  
 4 regia ; regium erat cuius et eloquium.  
 5 Credite mortales, facile est quod credere mortem  
 6 se ipsam saevitia nunc superasse feram.

DE IP SO IACOPO ET LEONARDO FRATRIBUS CISTERINIS,  
 HOC VIVO, ILLO MORTUO, ALLUDENS INSIGNIBUS

E3\_49 v.1 Sub dio a divis constructum e marmore fontem  
 2 flumina de caelo bina aluere diu.  
 3 Quin duo caelestes observavere leones.  
 4 Unum sed flumen, nunc leo, et unus adest.  
 5 Adsis perpetuo leo fonti, perpetuo amnis :  
 6 irriguus semper fons maneatque solo.

IN FUNUS MARGARITAE

E3\_50 v.1 Ipse igitur credar potuisse haud vincere nostra  
 2 arte hominem, tulerit ni mihi femina open.  
 3 Possum : sit quantum valeat vir fortis, et idem  
 4 callidus. Haec dicens Martigenam hostis adit  
 5 hostis regnator tenebrarum, mortua regna  
 6 qui tenet, et vivis insidiatur atrox.  
 7 Inspirans fatum, heu, vicit. Sed tollere honorem  
 8 uxori, quam vir sustulit, haud potuit.

ALIUD

E3\_51 v.1 Amisit corpus moriens castissima conjux.  
 2 Amisit perimens vir propriam ipse animam.

ALIUD

E3\_52 v.1 Fallaces sensus ludunt, ut somnia, mentes.  
 2 Caecus amor : caecus plus nimio ille, qui amat.  
 3 Ecce autem, immodice sponsus dum diligit, odit.  
 4 Fitque in amore ferus, fitque in amore furens.  
 5 Si in me totus Amor, non me est sponsa indigna amoris  
 6 dixit : et heu, perimit, quae illum amat et moriens.

ALIUD

E3\_53 v.1 Ros hac marmorea pretiosa absconditur urna,  
 2 lucidus, et solidus ros, sine labe nitens,  
 3 gemmarum longe nitidissima Margarita,  
 4 ut sit in Eoo par sibi nulla mari.  
 5 Persephone injusta occuluit, quam servat avare,  
 6 adstat, se excrucians, nocte, dieque vigil.

ALIUD

E3\_54 v.1 Sensit ut ad barathrum conjux properare maritum,  
 2 prosilit Elysiis, hunc miserata, plagis.  
 3 Atque illi accurrens, potuit vix dicere tantum.  
 4 Me miseram, misero quod tibi vulnus inest ?  
 5 Quod tibi (respondit) male laesit corpus honestum.

6                   Hoc anima impresso, me abstulit ipse dolor.

IN TUMULO PRINCIPALIS MANTICAE

E3\_55   v.1       Virtute princeps omnium valentium,  
           2       sceptroque digne, digne honore et principum  
           3       princeps amicum, quem colo usque maxima :  
           4       quam fundo lacrimas intimo de pectore  
           5       has accipe. Heu, heu, lugeo, et maerens gemo,  
           6       quod tam repente es raptus ac absconditus !  
           7       Semper dolebo ; nec videbo te amplius  
           8       o principale Manticæ Domus decus,  
           9       spesque unica, et splendor Naonis inclyte ?  
          10       Suspiria edo en quæ. Sed animam o tu patis  
          11       accipere. Traderem tibi propriam animam.

AD ALEXAND. PAUL. SOC. 'KAIRE' INQUIT, SOCERO PAULINO CANCIANINUS

E3\_56   v.1       Tollant se fluctus, conspirent undique venti,  
           2       et nostram exagitent, jactent in saxaque puppim  
           3       naufraga sub Cælo quod sit pice nigrius atra,  
           4       o Senio venerande pater, virtuteque multum,  
           5       numquam clamabo auxilium a Gloneo Panopææe ;  
           6       sim potius mergis et monstris esca marinis,  
           7       cuncta pati potius, Fortunæ damna paratus.  
           8       Aspice hirundo utrum, an sim de statione cucullus  
           9       fortuna arridet ; nam nostri nunc sumus ; hoc est,  
          10       in nostra patria et nido sat mente quieta  
          11       nec contra Genium et morem non quaerere, ut ante  
          12       cogimur auspiciam, queis mors est ipsa, repulsa.  
          13       Trebatiū laudo Mocenicis, nobilitate,  
          14       utraque et forma, de uxore est (scis) mihi sermo,  
          15       quam duxit. Quid plus, hæc si sol fertur Amoris ?  
          16       Laudo te in primis rude jam donare et in Urbe.  
          17       Utinea immunem, quod restat ducere, vitæ.  
          18       Et laudo natos qui consulere parenti,  
          19       natos non strictos, sed largos erga parentem  
          20       Franciscum vero de hac re non laudo, quod ipse  
          21       tam ingenuus, fidus, pura integritate redundans.  
          22       Ire velit, qua frons, fraus et scelera omnia regnant.  
          23       Aeternum vive et quod amamus, dilige contra.  
          24       Nunc, cum Spilimbergi (haud vacui) nos scribimus illa,  
          25       Virginis a partu penderent, quinque si adessent,  
          26       supra mille anni sexcentum in sidere Libræe.

DE BERNARDINO CONTARENO FR. CAP. THEO.

E3\_57   v.1       Piscatum pisces jure ivit denique, postquam  
           2       nullus homo reliquus, qui caperetur, erat.  
           3       Piscis se captum non est, qui jure gravetur,  
           4       cum ne dum pisces, sed capit hic homines.

E3\_58   v.1       Gnossia quem vitis produxit, mitto liquorem  
           2       inclusum puro perspicuoque vitro.  
           3       Munera parva, quidem, sed magnus sensus in illis,  
           4       hoc cum sit nitidum, suaviter ille potens.

5 Ille tuam vocem signat, mentem hocque figurat.  
6 Quid ? Quamvis modica, haec grandia dona putes.

AD QUOSDAM COMPOTORES AMOCOS

E3\_59 v.1 Pergite natalem vestrum celebrare quotannis  
2 tam multis epulis, tam varioque mero.  
3 Vivite, sit quantum esse potest et vivere longum,  
4 attamen, heu, aderit mors inopina brevi.  
5 Quae vos a vobis quando sejunxerit, uno  
6 heu nunc sublato, nunc alio, atque alio,  
7 nulli eritis ; quin nec nomen post fata manebit.  
8 Causa erit, hoc vatem non habuisse die.

IN OBITUM GARZONII

E3\_60 v.1 Possessor omnium cerebrum est mortuus.  
2 Quam quisque moriens alius, hic plus praedidit.

IN MUTIUM EVERSOREM IUGULANDIUM

E3\_61 v.1 Mutio omne damno comprecantur et vocant  
2 sibi Jovem ultorem ob nuces pueri erutas.  
3 O Juppiter (clamant) Juglandium Deus.  
4 Fac tota merces hujus haud valeat nuce.

IN URTICOSUM TUMULUM NEMESILLAE

E3\_62 v.1 Luxuriosa jacet Nemesilla hic, quae ussit amantes.  
2 Hinc sic urticis luxuriat tumulus.

EPITAPHIUM MERETRICIS NOMINE VITULAE

E3\_63 v.1 Conditur hic meretrix (Vitulam dixere) senella.  
2 Dixissent vaccam, vel vetulam melius.  
3 Quommodocunque siet, Vitula hic humana sepulta est.  
4 Pasce pecus tumulum, gramina, viva, daret.

IN CARDINALATUM ILL. MANTEGAE

E3\_64 v.1 Ecclesia exsulta tanto auxilii incremento,  
2 surgant Centimani : te manus ista tegat.

DE HENRICO FILIO

E3\_65 v.1 Postquam me liquit frater, liquitque sobrinus,  
2 Henrici ut accentus, vita fuitque brevis :  
3 appellem Henricum ; qui nunc mihi filius ortus.  
4 Illis sit similis : vivat at ipse diu.

DE IO. ANTONIO BORALIO MED. ET PHIL. COMPATRE

E3\_66 v.1 Ereptum Stygiis, superas me vexit ad oras,

2 et vitam dedit, Antonius, ecce meus.  
 3 Vidi umbras, quin Persephonem, Plutonaque et atras  
 4 illius sedes, contremulusque videns.  
 5 Illic nil laeti, nil vivi : pallor ubique,  
 6 et pavor. O nostrae lux adamanda plagae :  
 7 dicimus hic choreas, terram pulsamus et acres  
 8 alternis pedibus : pocula non hilarant.  
 9 Ergo certatim Cyathos sumamus amici,  
 10 cantemusque novum Phoebigenam hunc juvenem.

## DE NUPTIIS ILL. D. IOSEPHI PARTESTA NAI ET LUCRETIAE SPIL. COMATRIS

E3\_67 v.1 Consilio, atque armis, ceu stemmate clarus Joseph  
 2 alto in Nympharum vix luco retia tendit :  
 3 lucrum habet et praedam qualem vos dicite Musae.  
 4 Felix venator, felix est sic quoque praeda.

## AD QUENDAM FOENERATOREM

E3\_68 v.1 Ora est ficta tibi, funalia cerea ficta,  
 2 candelabra duo sic quoque ficta nitent.  
 3 Mantile est fictum, fictum pulvinar utrumque,  
 4 marmore de ficto statque columna duplex.  
 5 Illa oculis vera apparent ; sed inania tactus  
 6 indicat : egregium nobilis artis opus.  
 7 Omnia ficta tibi jactet cum porticus ista,  
 8 sic tua ficta etiam relligio esse potest.  
 9 Sed cur esse potest inquam, si id cernitur ? Ecce  
 10 vilis, nam fugiunt, non habet ara Deos.

## SEPULCHRUM PERFECTISSIMI UNDE QUAQUE

E3\_69 v.1 Quaenam sepultum funebris teneam lapis,  
 2 ah ne rogato, ne occupet tantus dolor.  
 3 Tuum cor, ut moriaris, audisti. Vale.

## EPITAPHIUM VIRI ET UXORIS INTER SE NECTORUM

E3\_70 v.1 In tumulo duo sunt : est conjux atque maritus,  
 2 mutua concordēs vulnera ferre sibi.  
 3 Hic petit, haec repetit ferro : se se ambo cruentant ;  
 4 donec eam litem composuere nece.  
 5 Laedere se unanimes pariter voluere perire,  
 6 paceque perpetua hic claudier exanimes.

E3\_71 v.1 Et petis, ut veteres celebres tibi carmine dicam ?  
 2 Ecce tibi (.....) nam vetus ; et ceber  
 3 additur atque non (.....)  
 4 quae potis esse ista turba vetusta magis ?  
 5 Dumne satisfieri ? Quid ni ? Veniente (.....),  
 6 Vis alios ? Alios fac aliunde petas.

E3\_72 v.1 Ille nothus scriba olim falsus (hic) jacet intus,

2 non est nunc falsus, scribere namque nequit.  
 3 Debuerat sylvis inhumatum stare cadaver ;  
 4 sed parsum est (sacri) religione patris.

AD IO. BAPTISTAM MANTICAM

E3\_73 v.1 Invidia nata Erebi quoties est nixa columnas  
 2 vertere tergeminas Mantica clare tuas :  
 3 in cassum sperat tantas prosternere moles,  
 4 dum putat inmotas, stulta, carere basi !  
 5 Non basis in terra, namque est fundamen Olympus,  
 6 en Leo caelestis, quin Jovis ales adest.

RECENS INSCRIPTIO SUORUM MAIOR BUSTO

E3\_74 v.1 Janus Dominicus Cancianinus  
 2 natis, atque suae posteritati  
 3 instaurat tumulum, vult sua et esse  
 4 hic ossa, at veniat mors pede claudo.

FABELLA DELUDIT FALSI DAMONIS ILLUSIONES ET EIUS APERIT PROTERVITATEM

E3\_75 v.1 Corpore deposito dum noctu thessala Virgo  
 2 Aegle se tenuat, fit similisque Deae  
 3 et comites imitata pares psallitque salitque,  
 4 hirci Acherontei pullaque terga premit :  
 5 pone Rubum inventum pulchrum ejus corpus amator  
 6 contrectat, Damon spretus amator erat.  
 7 "Sit cum spiritibus, sit semper spiritus Aegles,  
 8 inquit, cum membris : membra reperta meis."  
 9 His dictis operisse accingit modoque soluto.  
 10 Se totum acclinat gaudia prima petens.  
 11 Tum subito hircus adest, Aegle quem frenat inanis :  
 12 et cornu in podicem luxuriantis agit.  
 13 Quo fugis o Damon ? Tua non vestigia Damon  
 14 insequitur, saga est, qui fuit ante, pudor.  
 15 Ille fugam glomerat, caulasque Caprarius intrat :  
 16 jam poenas Hirci dant nece, quotquot habet.  
 17 Maximus ille hostis, qui se transmutat in hircum,  
 18 immensis gaudet vel sine fine probris.  
 19 Quae si quando arcet : facit hoc, quia fraude movetur,  
 20 prodest, majori ut possit obesse malo.

AD HORATIUM VERGERIUM MATHEM.

E3\_76 v.1 Non tantum nubes, sed qui transcendis Olympum,  
 2 dat tibi Vergeri Cancianinus ave.  
 3 Ille Cruces, stellas, alti, gladiique figuram,  
 4 et se commendat ; dat tibi jamque vale.

AD IO. RALLUM

E3\_77 v.1 Musarum, atque Dei, veri inquam, Ralle, sacerdos  
 2 optime : nunc quid agis ? Quae condis ? Maximo nempe  
 3 Cynthius est in te, ceu gratus tu incola Cynthi,  
 4 curaque salvus ego, his tibi dixi Ralle salutem.

DE ILLUSTRIS. CARD. CYNTHIO ALTOBRANDINO CLEMENTIS VIII P. MAX.  
NEPOTE MERITISS.

E3\_78 v.1 Nunc opus est vates cithara, fidibusque canoris,  
2 clementemque lyra praesonuisse Jovem.  
3 Illud praesidium, illud dulce decusque poetis,  
4 Maecenatem, ejus restituit pietas.  
5 Quin dedit, ecce, aureum (summa o Clementia) Phoebum.  
6 Nunc opus est fidibus, (nunc) cithara atque lyra.  
7 Templata tibi divo, Cynthi, statuuntur, et arae.  
8 Ast ego, quod possum, do tibi, tura, preces.  
9 Forsan erit tempus, quo me respexerit. Illo  
10 tempore quantus ero : munera quanta feram !  
11 Nec cito te hinc tollas, sunt super aethera Olympi,  
12 hic adsis terris te invideatque polus.

ALIUD

E3\_79 v.1 Aptabat roseis jam sese Aurora quadrigis  
2 Tithoni antiquum fugiens de more cubile,  
3 cum me ad Romuleum Morpheus, sinceraque Virgo,  
4 quam genuit tempus, tulit et sub luminis auras,  
5 vexerunt amnem, et posuere in margine ripae,  
6 gaudia spectantem, atque animo non parva moventem  
7 nec mora, arundineo Tibris velatus amictu  
8 ridentem ostendit faciem et se sustulit alveo :  
9 hunc veneror tandem et compello fortiter ausus.  
10 Quam mihi respondem facilis, nam se obtulit ultro  
11 quis nam erit ille Deus, cui templa ad sidera surgunt  
12 tam miris speciosa modis ? Quis ? Cynthus ille,  
13 luce sua totum terrarum qui imbuit Orbem :  
14 et tamen excelsae manet intra moenia Romae.  
15 Qui sunt artifices, qui operantur ? Quisque sacerdos,  
16 qui se in lucidulis Permessi laverit undis,  
17 atque super gemina Parnassi rupe litavit.  
18 Qua arte struunt ? Numeris fidium, Thebanus ut olim  
19 Amphion struxit muros. En aspice lauri  
20 fronde comas vinctos, sociantes carmina nervis.  
21 Quae resonant ? Laudes Cynthi, sublimis ut ipse  
22 virtute et radiis passim fulgentibus ad se  
23 attrahit extollens humiles, et numine multo  
24 sustentat dignos, resonant Clementis et alta  
25 octavi facta, octavi nempe ordine, verum  
26 re primi, caelum, et stellas qui vertice torquet.  
27 Huncque Jovem in terris colimus, longe admirantes.  
28 Quae facta ? Haec sine sunt numero, ceu omnia magna  
29 ast unum referam, decies repetisse placebit.  
30 Consuluit mundo, quamvis sub pondere nuncquam  
31 fessus mutaret : columen statuitque Nepotem,  
32 fortem alium Alcidem, atque Atlantem robore vasto,  
33 tamque pium, patrum et similem, quam lumine cinctum,  
34 cui delubra Deo merito tollentur ad astra.  
35 His dictis, subito Tibris se mersit in amne  
36 delituit placidisque undis, fluviisque quievit.  
37 Protinus atque ego (quid non possunt numina Divum ?),  
38 sum dulci patriae, et Julaeis redditus oris.



## ALIUD

E3\_80 v.1 En duo nunc soles caelo qui splendet ab alto,  
2 Cynthus huic cedat, qui terris splendet Olympo.

## DE CORNIFICIO ET CORNELIA

E3\_81 v.1 Unus erat Romae, quem Cornificium ipsa vocabat.  
2 Una et erat quae Cornelia dicta fuit.  
3 Ut se junxerunt, haec conjux, ille maritus,  
4 quid ? Permutavit nomen uterque suum.

## EPITAPHIUM HOMINIS FURACIS

E3\_82 v.1 Hic primi magni, ast inversi, signa elementi.  
2 Pone duo, et paria, et late distantia ab ipsis.  
3 Transversasque duas conjungat linea ducta,  
4 litera longa notas mox ut suffulserit illas,  
5 aera pro tumulo meruit sic (scribe) sepultus.

## EIUS TELA HUMANIS FIGURIS

E3\_83 v.1 Respuit oblata cingi qui tempora lauro,  
2 Janus Dominicus Cancianinus adest.  
3 Uxor adest etiam Paulina, et Bernar. et Henric. :  
4 dulces filioli quomodo, quisque si abest !  
5 Gasparis ars praestat Narvesae compatris istud :  
6 quod Natura stupet, nec facere ipsa potest.

## EPITAPHIUM LUCINAE SAVOR. MARCHESIAE

E3\_84 v.1 Hic Lucina sita est : Lucina dea illa triformis ?  
2 Scilicet, at non quam forsitan ipse putas.  
3 Tres referens divas, Paridenque adiere sub Idas,  
4 Savorgnana illa est : mortua, viva magis.

## ALIUD

E3\_85 v.1 Lucina in tumulo : non quae de nocte refulget,  
2 sed quae erat in medio tota corusca die.  
3 Quantum illi invidit Phoebi germana : sepulchro  
4 ah dedit invisam, post modo plorat, amans.  
5 Non aequum (exclamat) fuerat me hanc tollere lucem,  
6 pertulit hanc frater. Non ego dira tuli ?

## AD PUEROS

E3\_86 v.1 Oh ! oh quot pueri, quid tantum est hic puerorum ?  
2 Infestum genus ut perstringit vocibus aures :  
3 atque etiam lapides jaciunt ? O prava propago.  
4 Heus tu, quod nomen tibi ? Mi pauxillule dicas  
5 en tibi parvule ? Bursus. Quis tu parve vocaris ?  
6 Nolo. Dic : en prunum. Sum sobussus an et tu ?  
7 Ipse colubussus sum. Tu quis ? Fare. Coiabus :  
8 impositum ac nomen cunctis est nempe Jacobi.

9 Si sic, nempe Jacobaria estis, facitisve.

AD THERINAM

E3\_87 v.1 Dulcis Therina, millies ave et salve :  
2 hoc te saluto carmine. At quod est ? Scazon.

AD LAMIRUM

E3\_88 v.1 Quo capiti pilus obtegitur, si pileus : ut non  
2 dicuntur quoque sic capitis tegumenta, Capellae ?  
3 Sunt, mihi qui dicant. Uxores istud olentis  
4 Hirci nomen habet. Satis est. Hem, nonne Capellas  
5 delubris etiam appellant inclusa sacella !  
6 Tanto mi ergo magis liceat, cum res petat ipsa,  
7 fingere in hoc casu nomen. Sunt pura poetae  
8 haec propria. Affertur nunc Ludi tragoedia pulchra.  
9 Est illi titulus, spectator grate, Capella.  
10 Audita umquam alias non sunt haec nomina scis cur ?  
11 Fabella est nova. Quid, si non sit scaena, neque actus ?  
12 Hoc mage inauditum, vah vah. Comprime buccam,  
13 ut sileas, aut obturent tua edulia apertam.  
14 O Lamire, o Lamire ex tottis luxoribus aeger,  
15 te volo nunc unum ; proponis ludere praestans  
16 nam solus varios ludos. Sed nempe Capellae  
17 ludus delectat nimium te. Detegis illum,  
18 hunc operis : major capitis tui operta profani  
19 est autem pars. Scis quod plus mihi displicet ? Istud  
20 in templo fieri a te ludum. Respice justum,  
21 respice. Disce Deum venerari, disce timere.  
22 Viscera Judaeo recolisne dedisse Mariae ?  
23 Cumque cane hoc foedo tractim glutisse sacram rem !  
24 Quae nullo pacto attinet ad te, linque capellam  
25 occidit, heu, quali cum natis morte Magistus ;  
26 coementis structum sacris bis Melchius horti  
27 collapsum vidit murum, rursus ruiturum,  
28 ni sacros lapides cautus selegit ab illo.  
29 At tibi quicquid habes, scis certus, corruet omne.  
30 Hic ludus nisi pulchra, est saltem fabula vera.

AD SAULIUM

E3\_89 v.1 Formandae furcae sint ut tria ligna necesse est.  
2 Sauli, hoc quis nescit ? Quin omnis magna duobus.  
3 Atque uno struitur ligno, non pluribus. O quae  
4 furca hominum, si homines hi tres sunt, qui ratione  
5 longe semoti vivunt, nec legibus ullis,  
6 quique probos tantum pravi suspendere vellent.  
7 Nomina non dicam, restent ne nomine vivi,  
8 cum illos mors raperit, quos mors quoque pessima abhorret,  
9 sed rapiet tandem, vita indignique peribunt.  
10 Hos pingam verbis, atramentoque loquaci,  
11 quos statim agnosces. Non sic carbone figura  
12 diducta, illum oculis dat doctorem aspiciendum,  
13 qui se sic stulte volvit pingi, atque videri  
14 obscurum, hac vili contentus imagine sola :  
15 quo ostendit quam sit fanaticus ille cerebro.  
16 Ad rem nunc redeo, quam liqui non sine causa,

17 infero dum verba ad rem vel facentia multum !  
18 Unus, et en alter stipes cum cornibus altis,  
19 truncus uterque malus, caeno infixus prope tantum,  
20 est quantum satis. Inter se sunt unus et idem.  
21 Ast ea amicitia in perversis rebus habetur  
22 hi duo sunt imis, taetrisque parentibus orti ;  
23 nam pater hujus, et illius mercede fuere  
24 viventes foeda, spoliis taurorum, oviumque  
25 et servis illorum (...), qui vertere glebas  
26 sunt soliti assidue, peragrarunt compita cuncta.  
27 Incipio. Primus geminas destrusit ad orcum  
28 impius immeritas uxores : nunc sibi frustra  
29 udorem quaerit scortator publicus, et fur,  
30 proditor et tantus, quem appelles nomine Judam.  
31 Demisso est humero dextro, stat pallor in ore,  
32 contemnitque Deum, a multis est vulnera passus  
33 ob linguam, sola qua est Thraso laedere pollens,  
34 si modo ea laedit, verum sibi plus nocet ipsi.  
35 Alter queis verbis signetur ? Fronte serena,  
36 atque hilaris, si non premit, invidia, iraque menti  
37 sanguineus facie, facieque, et ventre rotundus,  
38 quam simulans, caveas dominis servire duobus,  
39 iste potest, habitat cum vivis cumque sepultis.  
40 Defunctis cantat maeste, subridet, et una  
41 illis, qui vivunt : psalit quoque. Sed tamen omnes  
42 vellet viventes caecis mandare sepulchris,  
43 aeternisque auris rursus proferre sepultos,  
44 immensum ut caperet lucrum, sed quae de anima  
45 est illi sententia ? Qualis Pythagorea,  
46 vel parvo distans : quin vivus transit in omnes.  
47 Nam lanius fuit, et mercator, scriba, patronus,  
48 grammaticus, cantor, nunc plebis presbyter. At quis ?  
49 Vinosus, lurco, nil caeli numina curans,  
50 legitimis genitor, nec non sine lege creatis :  
51 saepe suum ac ausus pugnis contundere patrem,  
52 tertius hos vitiis major supereminet omnes,  
53 nobilis : idcirco transverse nobile lignum  
54 immineat, simul et jungat compagine summa  
55 erectos socios alte sua pondera habentes.  
56 Dignus detur honos, et, quae est dignissima, torque.  
57 Falsa est nobilitas, quam dicunt, sanguinis, illa  
58 vera est, quae est animi : virtus, atque inclyta honestas,  
59 quid virtutis habet, quid honesti, nobilitatis,  
60 scorta tenere duo infandis sibi sumptibus, atque  
61 in senio extremo tam turpem ducere vitam,  
62 hoc patris officium rem sic consumere avitam ?  
63 Vendidit hic proprium, vendit nunc multa, reliquit  
64 quae sit testati (pia an impia ? ) Cura nepotis.  
65 Et tamen, oh, secum quando prandebat adulter,  
66 atque homicida, dapes voluisset corda nepotis.  
67 Tali est ingenio. Ipse fatetur : combibo, mando  
68 cumque hoc, atque illo ac illorum viscera viva,  
69 queis cum sum mandens, inhio glutire malignus  
70 semper conivet. Diva est Caecilia testis,  
71 testis et ara Deae, quae fraus se pone latebat,  
72 in me et consilium quale tui fecere nefandi,  
73 non tantum furca, at furca, et reus atque minis (jam)  
74 integer, et purus sceleris sed tutus ubique.

IN FONTES MARMOREOS URBIS UTINI,  
IUSSU ILL. PRAESIDIS DOMINI NICOLAI CONTARENI USQUE AQUAM

E3\_90 v.1 Omnes irrigui, crystalla liquentia, rivi,  
2 lymphae, et vos Nymphae, quae has habitatis aquas  
3 murmure pars dulci, dulci pars carmine ad undas  
4 tendite marmoreas, quo properatis, iter.  
5 Pergite nec pigeat subter vos currere terra,  
6 donec in Utineis prodeat unda Foris.  
7 Hic magno populi applausa salientis ad astra,  
8 praesentes aestus atque levare sitim.  
9 Ac velut illabens coluber renovatur, et inter  
10 saxa duo exutus, pulchrior ille nitet :  
11 sic vos mutata in meliorem sorte, perennes  
12 urbi eritis clarae haud infitiandus honos,  
13 praeside Nicolao Contareno, auspice et ipso,  
14 quem, velut Indigetem, Julia Terra colit.

ALIUD

E3\_91 v.1 Optima aqua : ut cecinit divino Pindarus ore.  
2 At Contareno, qui dedit optimam aquam ?  
3 Hunc efferre satis (nam longe est optimus) ipse  
4 vix posset vates laudibus atque lyra.  
5 Unum ictu Moyses fontem perrupit aquarum.  
6 Plures dicto uno Nicolei, ecce, scatent.  
7 Hoc opus, hoc fieri post cetera facta decebat  
8 optima, queis numero cedat arena maris.

ALIUD

E3\_92 v.1 Est eadem e geminis quae erumpit fontibus altis,  
2 et quae per planum difluit Urbis, aqua.  
3 Cur autem est illa hac melior magis atque salubris ?  
4 Naturam auctoris detinet illa sui.  
5 Nicoleus Contareno praeses fuit auctor :  
6 eloquio et Sophiae fons, fluuiusque duplex.

ALIUD

E3\_93 v.1 Traxisti aetheriis Cererem cum Pallade ab oris.  
2 Et dedit hic large munera quaeque sua.  
3 Pulvere ne alma Ceres sorderet, Pallas olivo :  
4 implesti fontes, quo abluerentur, aqua.  
5 Contareno, tua excedunt mortalia facta,  
6 es rerum nobis providus, atque Deis.

ALIUD

E3\_94 v.1 Orte salo, salis et tantum qui mente recondis,  
2 ut das tam dulces optime Praetor aquas ?

ALIUD

E3\_95 v.1 Cum nubes pendent, largus si decidit imber,  
2 non mirum est, quamvis sit Jovis illud opus.

3 Sed pluere immensum caelo existente sereno,  
 4 hoc mirum, Contarene, quod ipse facis.  
 5 Ille Jovis juvat haud semper nos defluus (unda),  
 6 iste tuus nullo tempore, lapsus, obest.

## ALIUD

E3\_96 v.1 Et pius, et justus tot habes in pectore fontes.  
 2 Quae illorum lymphae ? Justitia et pietas.

## ALIUD

E3\_97 v.1 Ut Pelia natae ferro secuere parentem,  
 2 dum juvenem hoc credunt reddere prope modo :  
 3 antea, praesidibus sic nostra haec Patria secta est  
 4 amne Tilaventi, mortua adhucque fuit.  
 5 Nunc Contareno en rediviva, in flore juventae.  
 6 Passim libertas merce pererrat eam.  
 7 Copia sic frugum est illi, ceu copia aquarum.  
 8 Cui mage debemus ? Num Patriae, huicve Patri.

## DE MEDICO RUDIO

E3\_98 v.1 Est Rudius Rutilans radius, quin alter Apollo.  
 2 Arte Deus medica dicier ipse potest.

## EPITAPHIUM NICOLAI PAXII IN URNA

E3\_99 v.1 Nicolei cineres requiescant Paxii in urna :  
 2 pax illi, cui pax semper amica fuit.  
 3 Praesidibus quantum fuerit populisque jucundus,  
 4 illius proles sic honorata docet.

## D E MORTE SCIPIONIS MANZANI

E3\_100 v.1 Scipio erat nobis tanto Manzanus honore,  
 2 ut nunc, cum non est, nos veneremur eum.  
 3 Occidit immerito : sese Mors jecit in illum  
 4 fulminea, e ferro praecipitata cavo.  
 5 Ah quantum ingemuit Phoebus, suspiria quanta  
 6 edidit et Mavors, maestus uterque Deus.  
 7 Sed quis erit vindex ? Tanti quis funeris ultor ?  
 8 Plus aliis laesum Mors ciet ista Jovem.

## DE SAULA

E3\_101 v.1 Cum gravis est utero de Paulo Saula marito,  
 2 tunc dat, non alio tempore, Saula suis.  
 3 Sic est fida viro, sic se, delectat amantes,  
 4 rem facit et miram : cum probitate probum.

## AD VALCONIUM

E3\_102 v.1 Gratulor en nimium, nimium ceu gaudeo, vatem

2           incolumen dirae te superesse lui :  
 3 non autem miror, Valconi, spicula quamvis  
 4           non tot in Argolicas torsit Apollo manus.  
 5 In te si hostilem curvasset Cynthus arcum,  
 6           nonne sui ipsius ferreus hostis erat ?

AD FRANCISCUM FRESCHUM, D. CUCANEA

E3\_103 v.1        Aura sub ardenti ceu est gratissima sole,  
 2           ut recreat siccum frigida lympha, rigans :  
 3 sic tua Musa placet, sic est tu Fresche suavis.  
 4           Plus nimio ferves, vos amo, vosque colo.

EPITAPHIUM PERILLUS, AURELIAE SPILIMBERGAE

E3\_104 v.1        Heu tanta eclipsi quid non tristatur oborta ?  
 2           Aurea lux illa est tota reflexa Deo.

EPITAPHIUM PORTIAE SP.

E3\_105 v.1        Quisque fuit procerum, est consors nunc Portia divum,  
 2           plus meruit terris integritate sua.

NULLAM REM EI ADMIRATIONEM EFFICERE

E3\_106 v.1        Nil admirarer, si nil constare viderem :  
 2           nil numquam constat, quod video, haud stupeo.

EPITAPHIUM PRECAERI JOHANNIS ANDREAE TURRIS PORTOGRUASIENSIS

E3\_107 v.1        Nobilis Andreae jacet hic turrita carina.  
 2           En, ipso in portu, quae ingruit acris hiems.  
 3 Non mirum, haec etiam caelo si fulserit astrum.  
 4           Auratum vellus vexit et ista ratis.

ALIUD

E3\_108 v.1        Inclyta cui virtus fundamen, culmen honosque,  
 2           quadratus paries integritasque fuit,  
 3 corruit, heu subito Turris, tellusque dehiscit.  
 4           Portenta haec majus quod voluere malum ?

ILLUSTRISSIMO AUGUSTINO MAUROCENO ABB. AUGUSTISSIMO IN EIUS VENERATIONEM

E3\_109 v.1        Nemo est, qui recolat vidisse Lycaonis umquam  
 2           tantam mens praedam : numine parta tuo est.  
 3 Rex ferus ille olim, nunc horrida bellua silvae,  
 4           sponte ruit leto : credidit esse Jovem.

ALIUD

E3\_110 v.1        Maurocene tibi generoso, invita ferarum :  
 2           non autem invita est, publica praeda vivum.

## DE EODEM

E3\_111 v.1 Aemulus Augusti, Augustinus es nomine dignus.  
2 At Mauroceno : ut Maurus mons, sidera tangens.

## AD NUBILEM

E3\_112 v.1 Grandis, et apta viro, jam ludere desine virgo.  
2 Seria nunc facias : te decet esse gravem.

## EPITAPHIUM PERILLUS IOSEPHI PARTESTANII IURISC. ET POETAE, COMPATRIS

E3\_113 v.1 Huc, mundi in omni parte stagnum ad cognitum,  
2 volate Cycni, et flete amicum nobilem ;  
3 sic vos sorores o novem, ferte huc pedem ;  
4 post luctum, et in tot populos vos vertite.  
5 Est gnatus hic Apollinis : quis deneget ?  
6 Sed dispar illi qui paternas avius  
7 duxit quadrigas, egit is recte diem.  
8 Heu morte fulminatus hoc ad invida,  
9 qua parte stagnat amnis alte, decidit :  
10 Eridanus alter, quem omnium dolor facit.

## DE NIGRINA

E3\_114 v.1 Tres Nigrina viros habuit, quos esse peremptos  
2 vidit, proque illis milia sena tulit.  
3 Postulat his aureis iterum Nigrina maritum.  
4 Non ego dote tua duco, Nigrina, Nigram.

## DE ALMONE ET ULMA

E3\_115 v.1 Almo fit conjux Ulmae, cui vendidit aedes.  
2 Non Almo uxorem, duxit (..) Ulma virum.

## AD LUSAM

E3\_116 v.1 Cum numquam parias, sterilis sis et mihi semper,  
2 non Musa, at prorsus Mula videre mihi.  
3 Mula ergo hinc fugias, te sylvae, et lustra ferarum  
4 accipiant, avidis sis laniata lupis.

## AD FABIIUM PALILNUM SORORIUM

E3\_117 v.1 Ut cupio, ut conor nostris imponere finem  
2 carminibus : sed non id mihi posse datur.  
3 Et tamen heu quantis agitatur cymba procellis  
4 nocturno in pelago, nec mihi stella micat.  
5 Inter tot scopulos, tot Scyllas, totque Carybdes,  
6 monstraque, cui duro lumina sicca forent ?  
7 Hic est, ut credam dictos sub nomine Cycni  
8 vates, quod cantat vel moribundus olor.  
9 O tu, cui Imperium in causas, praeclare sorori,

10                   dic nostrae : jubeo, sic volo, Musa fuge.

DE QUODAM SEPULCHRALI SOMNIO

E3\_118 v.1       Sede sua motum quoties per somnia nostrum  
           2           aut instauratum conspicio tumulum.  
           3       Non fallor, toties aliquis mihi sanguine juncto  
           4           cogitur aeterna condere nocte diem.  
           5       Filioli, et conjux ego nunc vos linquo, valete,  
           6           apparuit busto pyramis alta novo.

NOS ESSE IMORTALES

E3\_119 v.1       Nos animus sumus haud morimur nos, si Deus ipse  
           2           aeternus vivit, nam Deus est animus.  
           3       Cetera non scimus, nec fas est scire retentis  
           4           corpore. Cum hoc moritur, credite, nos orimur.

AD LECTOREM

E3\_120 v.1       Si es veri amator, me audias : loquor vera,  
           2           et sancta, adesse quando somnio sacris,  
           3       corpusque Christi mysticam hostiam tolli  
           4           circumdato molestiis licet duris,  
           5           semper mihi lux crastina est dies felix.  
           6       Per optimam praesagia rem bona ut fiunt :  
           7           oracla sine fallaciis Deus mittit.  
           8           Ob id tamen ne somniis fidem praesta.

DE MERONE

E3\_121 v.1       Sic gemuit Mero dum moriturus volvitur unda.  
           2           Hei mihi : plusque mors, unda libenda dolet.

IN GALLAM

E3\_122 v.1       Sucosa et pinguis numquam se edere, atque potare  
           2           Galla inquit. Verum est : se haud edit, haudque potat.

AD EAMDEM

E3\_123 v.1       Te lingant catuli, te lingant, Galla, catellae :  
           2           numquam pellis erit, qua tibi vulnus hiat.

IN QUENDAM VOCITATUM PATREM AB HAC CONIUNCTIONE ATQUE PRORSUS ABHORRENTEM

E3\_124 v.1       Atque pater, pater atque fugis : tamen atque per omne.  
           2           Paene metros vatium docta Camena sonat.  
           3       Atque fugis, fugis atque pater : pacem tamen ipsa  
           4           coppula disjunctis fert, simul atque ligat.  
           5       Cur igitur pater atque fugis ? Num dicere non vis ?  
           6           An nescis ? Dicam quod scio, tuque siles.  
           7       Pax tibi non cordi est : redolet quod vincla tremiscis.  
           8           Si atque tibi os aperit, totus in ore pates.



## IN EUNDEM

E3\_125 v.1 Atque Getae atque Hebrus atque Actias Oricia ;  
 2 quin etiam, versus quas habet iste sequens :  
 3 atque Ephyre atque opis, atque Asiana Deiopea,  
 4 in te omnes clamant, stultitiamque tuam.

## DE VILBIO

E3\_126 v.1 Noscere se est sapere, insanum se noscit, et inquit,  
 2 Vilbius : insanum Vilbius ergo sapit.

EXIMIO VATI ET MEDICO EIUS SORORIO, PAULINO LECTORI,  
 HONESTISSIMAE PRUDENTIAE MAZOLENIS SPONSO, FILIAE CAESARIS NEPTIS IUNCTAE

E3\_127 v.1 Paulum hymni resonent, jam mactes lenis Apollo  
 2 ipse tibi : sponsa en victima, et ara torus.  
 3 Victima adest praestans, ara igni flagrat amoris.  
 4 Ergo fodens cultro, quo datur esse, feri.  
 5 Sanguine te puro places, et virgine caesa-  
 6 -ris vult divus Hymen, caesa resurgat ea.  
 7 Cui cum Leucothoe cedat Peneia Daphne  
 8 cujus fronde sacra frons tua docta viret.  
 9 Te egregia ut prole aeternes post inclyta scripta,  
 10 prudenti bene prudentia juncta tibi est.

## AD POETAM

E3\_128 v.1 Threicium fidibus modulantem carmina vatem  
 2 altis in silvis obstupuere ferae.  
 3 Cancianine, tuum memoris non bellua plectrum,  
 4 urbibus in magnis obstupuere viri.

\*\*\*\*\*

NONNULLA HENRICI, CANCIANINI IANI DOMINICI CANCIANINI FRATRIS UNICI, CARMINA  
 AD ILLUSTRISSIMUM DOMINUM ANDRAEAM CONTARENUM TUNC COLONIAE PRAESIDEM

E3\_129 v.1 Et linguae, et citharae sonum  
 2 t(uis) carminibus dum siet additus  
 3 finis, stet procul infimum  
 4 vulgus ; nam Venetum grande decus cano.  
 5 Arenam numerat maris,  
 6 Contarene, tuas dicere qui volet  
 7 laudes innumerabiles,  
 8 nomen resque tuae perspicue ut monent.  
 9 Summo lapsus ab aethere,  
 10 huc cum justitia crederis et fide :  
 11 quacumque ingrederis, Polus

12 ningit flore novo, atque omnigenis rosis.  
 13 Plenis copia cornibus  
 14 spargit divitias (largus) et hinc abit.  
 15 Hinc quodcumque nocet, fugit :  
 16 et multo melius nox nitet et dies  
 17 ut nunc te columen sibi  
 18 grata mente colit fide Colonia :  
 19 sic te postmodo Nerei  
 20 urbs sit laeta suo maxima Principe.

IN OBITUM TALERII CARBONIS

E3\_130 v.1 Fortunam incusem, an divum crudelia fata ?  
 2 O Valeri, o Carbo, frater, comes, unice amice,  
 3 mors tua confuso eripuit mihi pectore mentem,  
 4 (proh dolor) extinctum ut sensi te funere acerbo !  
 5 Quid moror exiguum hic animae ? Cur frena doloris  
 6 dentibus incassum rabidis durissima mando ?  
 7 Hanc saltem licuit propria vi rumpere vitam.  
 8 Ergo ego te numquam ? Sine me tumultus in oris  
 9 clauderis externis ? Sine te sum vivus adempto ?  
 10 Oscula non, glaciem superantia frigore, carpsi ?  
 11 Non calida e gemino lacrimarum fonte mearum  
 12 absidue manans tibi lavit lumina clausa ?  
 13 Donare extremo potui te munere nullo ?  
 14 Fortunam incluso ac Divum crudelia Fata.

AD HENRICUM FOLITIANUM COSOBAINUM REVERSUM UTINUM VERONA HENRICUS HENRICO

E3\_131 v.1 Diva salus, hominum vis, vita, et divitiae,  
 2 dono quam nobis dant, quum lubet, magni Dii,  
 3 cuique etiam confestim discendenti subeunt  
 4 tristis pernicies, mors impia et interitus,  
 5 jugiter, alter ego, faveat tibi, et inde foveat,  
 6 ac rursus te me nunc valere jubeat :  
 7 te me aio. Nec mirere : ego tu, tuque idem es ego :  
 8 una enim facies, vox, aetas, nomen, habitus,  
 9 voluntasque, et ambobus est una anima.  
 10 Quod recordatus : tabulam, stilum, et quae sumpseram,  
 11 ut dum Veronae fui, verbis istuc meis,  
 12 Henrice, salvam scriberem salutem tibi,  
 13 semper abjeci, ratus hoc supervacaneum.  
 14 Aequae egomet mecum continuo postea :  
 15 satis sum sanus ? An quae mala me pestis tenes,  
 16 quid (nunc) velim commendare memet mihi,  
 17 et fieri a me magis quam sum, certior ?  
 18 Nonne ego si quid scio, ille idem alter ego est aequae sciens  
 19 et si ille quicquam scit nonne ego id ipsum ipse scio ?  
 20 Stulte, ergo, et stolide quaero id, quod inest mihi,  
 21 stultiusque nunc ago haec, atque stolidius ;  
 22 nam patri et patrono salutem, ut volo, dixeris,  
 23 te curabis, tamque nihil ex his dixeris.